# SPECIMEN PANOPLIÆ SACRÆ MILITANTIS ECCLESIÆ:

Ad cunctas Hæreſes debellandas, omneſque impietates profligandas ex ea: Aſſervatæ in Sanctiſsimorum Fratrum Patriarcharum Cherubici DOMINICI, ac Seraphici FRANCISCI, locupletiſsimis Armamentariis in diem Pugnæ, & Belli.

Quam probandam, in proximis Concertationibus Academicis ineundis, palàm in lucem producet




P.TER F.TER LUCAS RAMIREZ, Sacræ Facultatis Theologicæ Doct.

Archiepiſcopatus Hiſpalenſis Examinator Synodalis, Sanctæ Supremæ, ac Generalis Inquiſitionis Hiſpanæ Cenſor, ac in Primario Almæ Angelorum Provinciæ Hiſpalenſi Conventu, Deo Optimo Maximo, in honorem Sancti ANTONII de PADUA dicti, ſacro, Regularis, ac Reformatæ Obſervantiæ Seraphici P. N. S. FRANCISCI Presbyter indignus, ac Veſpertinæ Cathedræ Moderator.

OFFERENDUM
SANCTISSIMO PATRI,
AC DOMINO NOSTRO
BENEDICTO XIV.
Pontifici Optimo Maximo.

DICA-

# *DICATUR*

Corde magno, & animo volente,
Regio, ac Serenissimo Infanti

# HENRICO STUARD
## SOBIESKI,

Duci Eboracensi, Secundo-Genito Serenissimi JACOBI Tertii, Magnæ Britanniæ, Franciæ, & Hiberniæ Regis, Fidei Defensoris semper invicti, Almæ Metropolitanæ, ac Patriarchalis Ecclesiæ Hispalensis Canonico, Carmonensi Archidiacono, Archiepiscopo Bononiensi, ac S. R. E. Cardinali item Eboracensi amplissimo.

# *ADPARABITUR*

Pro venerando Theologorum con-

greſſu Exhedra ſtrata in antedicto ANTONIANO Hiſpalenſis Cœnobii Templo, quo ſibi condictum eſſe noverint Sacræ Facultatis Reverendiſsimi Profeſſores, pro menſe Majo, diebus ſuo tempore aſsignandis, anni proximi milleſimi ſeptingenteſimi quinquageſimi, Seſsionibus matutinis, ac pomeridianis.

Pro diſcutiendo, atque enucleando

*PRIMò:*

Reſolutiones omnes, tum Philoſophicas, tum Theologicas Magni illius, ac Venerabilis ALEXANDRI HALLENSIS, cognomine notiſsimo DOCTORIS IRREFRAGABILIS, Sæculorum conſenſu meritò inſigniti, in

ejus famigeratiſsima Summa Theologica, cæteriſque Scholaſticis ejus Operibus oppidò contentas.

*SECUNDò:*

Syſtema Thomiſticum, omnia complectens Dogmata inconcuſſa, tutiſsimaque Angelici Doctoris D. THOMÆ AQUINATIS, latè, ſolidè, ſapienter, ac ſubtiliter diſperſa per omnia opera Scholaſtica, Philoſophica, ac Theologica, ejuſdem Sancti Doctoris; ad genuinam ipſius mentem, Rigidiorumque Thomiſtarum in Sacro Ordine Prædicatorum ſenſum.

*TERTIò:*

Ignita, flammantia, atque Ortho-

doxa Dogmata, ſeu Reſolutiones Scholaſticas, Philoſophicas, ac Theologicas univerſas Seraphici Doctoris Noſtri D. BONAVENTURÆ, ſive in Sententiariis tradita per Eundem, ſive in Opuſculis infrà laudandis.

*QUARTò:*

Syſtema Scoticum Subtile, Solidum, Sublime, & Orthodoxum; ſeu Aſſertiones omnes Philoſophicas, ac Theologicas Venerabilis Patris Noſtri Fratris JOANNIS DUNS SCOTI, Cognomento DOCTORIS SUBTILIS, â Sede Apoſtolica laureati, luculentiſsimè diſperſas per Opera ipſius Scholaſtica, infrà nominan-

da,

da, ad ſenſum Rigidiorum Scotiſtarum in Sacro Ordine Minorum.

## *QUINTò:*

Miram, ac minimè conjecturalem Concordiam in omnibus, tum Philoſophicis, tum Theologicis, Doctorem Subtilem SCOTUM inter, Angelicumque Præceptorem D. THOMAM AQUINATEM. Addita concordia Utriuſque cum Magno Parente Auguſtino.

## *SEXTò:*

Doctrinam univerſam â Venerabili, atque Extatica Virgine, ac Ancilla Dei, Sorore MARIA â JESU de AGREDA, traditam in Opere mirifi-

co, cui inſcribitur titulus : *Myſtica Civitas Dei ..... Hiſtoria Divina, &c.*

*SEPTIMò tandem :*

Facilem, Planam, atque Harmonicam Concordiam Doctrinæ totius proximè laudatæ ſacræ Virginis Theodidactæ AGREDENSIS, ad doctrinam SS. PP. Eccleſiæque DD. & potiſsimè ad eam, quam in Operibus ſuis tradit ſuprà laudatus Doctor ANGELICUS DIVUS THOMAS AQUINAS.

*Arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt.* 2. ad Corinth. cap. 10. ℣. 4.

EPIS-

# EPISTOLA NUNCUPATORIA.

# HENRICO
# STUARD SOBIESKI,
## DUCI EBORACENSI
Celſiſsimo, &c. &c. &c.

F.TER LUCAS RAMIREZ
Utramque ſoſpitatem adprecatur,
& omnia fauſta.



NVITO heterodoxo, venali, perfido, ac rebelli Britannico Senatu, omnis juſtitiæ, ac pietatis inimico, pientiſsimæ proinde, atque

Auguftę Domui Stuardorum iniquiſsimè ad Parricidium, quinimò & (horreſco referens flagitium inauditum) ad Regicidium uſque infeſto; Specimen hoc Sacræ Panopliæ Militantis Eccleſię, Summo Pontifici donandum, Celſitudini Tuæ, (PRINCEPS SERENISSIME, EMINENTISSIME DOMINE) alacri prorſus,ac libente penitùs animo devovemus. Munuſculum planè exiguum, nec tanto Principe dignum reputaverit quiſquis cum offerentis tenuitate oblatum contulerit; tametſi ex cæteris adjunctis,ex objecto pręcipuè,contemptibile non adeò eſſe deprehenderit fortaſsè rerum æquus Æſtimator. Verùm ceſſerit utcumque res, id certum habere auſim; Tibi, Gloriæ Magnorum Avorum tuorum Succreſcenti oblatum, magnum eſſe futurum; reſpiciente Te illa, qua aſſoles, Clientum tuorum vota, ſerena fronte, majus; Te, demum,attollente ad faſtigium Sedis Apoſtolicæ, in Arce Sacratiſsimæ Religionis conſtitutæ, Summo, Sanctiſsimo, ac ſinè aſſentatione, Doctiſsimo Militantis Eccleſiæ Duci,ac Doctori porrigente, omnino maximum evaſurum.

Atque equidem iſtius PANOPLIÆ SPECIMEN, juſtiſsimis de cauſis, per manus Celſitudinis Tuæ, Summò, ac Pientiſsimo Pontifici

pro-

promovendum erat. Ut enim de monumentis innumeris Regiæ Progenitorum tuorum munificentiæ, largiter impenſæ Ordini utrique Clariſsimo PRÆDICATORUM, ac MINORUM, quorum præſens communis eſt cauſa, pro nunc ſileamus; immorari nolentes in re notiſsima, quam Annales utrorumque luculentiſsimè proteſtantur: Nil, auſim affirmare, iſtius ſub Opellæ titulo exponitur, quod vel ex Anglia illa tua, quondam felici dum orthodoxa, traductum non ſit; aut eandem ſummoperè non concernat, afficiatve. Ac reverà, eorum, qui Sacram Theologiam poſt Magiſtrum Sententiarum ſcholaſtica methodo tradiderunt, præeminet, inter primos Ævi ſui Theologos, Magnus ille ALEXANDER HALLENSIS Anglus. Parum eſt: â præcedentium ſæculorum Scholaſticis univerſis palmam tulit, ſequentium ſæculorum Scholæ Anteſignanis præfulſit copiâ, ſubtilitate, methodo, ac ſoliditate perſpicua: quæ omnia, tum Summam ejus Theologicam, tum alia, quæ poſt ſe ſcripta ſua reliquit, legentibus liquidò probantur. Idem ipſe eſt Franciſcani Lycæi Protoparens Illuſtris, Laureatus primus, ac ſæculorum conſenſu cognominatus IRREFRAGABILIS DOCTOR; ipſe Sanctiſsimorum Fratrum D. THOMÆ AQUINATIS Doctoris Angelici, ac Seraphici Doctoris

D. BONAVENTURÆ Præceptor Inclytus, ac Præclarus.

Doctorem ſuum, ac Præceptorem Hallenſem tempore proximus ſubſequitur Angelicus Dr. D. THOMAS. Ut Phoſphoro ſplendenti ſuccedit Sol mirabiliter illuminans, ita D. Thomas ſuccedit ALEXANDRO: quem, quò jus Celſitudinis Tuæ in Ipſum firmaretur ampliùs, virtutibus imbuendum, ac literis erudiendum in Ædibus Paternis Illuſtriſsimis, jam pridem præripuerat ſibi Vir apprimè celebris THOMAS HIBERNICUS, Ordinis Prædicatorum. De laudibus, encomiisque hujus Sanctiſsimi Doctoris, planè ſatius eſſet omnino ſilere, quàm pauca congerere. Sed prolixa laudatio eſt; quæ non quæritur, ſed tenetur in ipſomet ejus Nomine, quod interpretatur ABYSSUS. Abyſſus, inquam, enimverò caſtiſsimæ, ſublimis, orthodoxæ doctrinæ, ac ſanctitatis eſt Angelicus Doctor, totius Eccleſiæ Dei commune Propugnaculum, ac Præſidium inexpugnabile. Tibi etiam, Princeps Clariſsime, deberi Doctorem SERAPHICUM, quem nec laudibus noſtris, nec votis æquare poſſumus, probat ſupradicti Venerabilis Senis HALLENSIS Magiſterium; nec omittendum, quòd ad Antiquiſsimæ, ac Celeberrimæ Metropolitanæ Urbis Tuæ Eboracenſis Eccleſiam olim electus fuerit Archiepiſ-

copus;

copus; tametſi præ humilitate, qua pollebat eximia, inſigne munus recuſaverit. Doctorem porrò Subtilem quod attinet, res in confeſſo eſt. Is enim ſub Dominatu Progenitorum tuorum Magnæ Britanniæ, ac Hiberniæ Regum procreatus, vitæ hujus, ac lucis uſuram capeſsivit. De ortu tanti Doctoris inter ſeſe meritò digladiantur Anglia, Scotia Major, ac Minor, diuque diſputent per me: utcumque tamen de lite iſta invidenda tranſactum fuerit, deciſumve; SCOTUS, nedum ut Cliens, verùm etiam ut Indigena, Subditus, ac Vaſſallus, ad oſcula manuum Sereniſsimi Ducis Eboracenſis, Domini ſui Clementiſsimi, recipiendus erit.

De Extatica autem, ac Sacra Virgine MARIA A JESU DE AGREDA quid? Hæc, (*) *quoniam non cognovit literaturam, introivit in potentias Domini*; atque (*) *introducta in Cellam Vinariam, Sponſus ordinavit in ea Charitatem.* Hinc crebris gemitibus, atque irremediabilibus lachrymis deflere ſolita, nedum iniquorum omnium cæcitatem, ſub ſervitute dura impietatis ſuæ mancipatorum; verùm & præcipuè, Nationum Borealium â Piæ Matris Eccleſiæ Gremio defectionem; Anglicanæ præſertim Gentis tuæ ſortem acerbam, deplorabi-

lem.

(*) Cant. 2. ℣. 4. (*) Pſal. 70. ℣. 15.

lemque; quæ, excuſſo ſuaviſsimo Chriſti Jugo, diſciſſa diro Schiſmate Eccleſiaſticæ unitatis charitate, unius ob noxam, & furias infeliciſsimi Regis, in peſtilentiſsimarum hæreſeon voraginem prolapſa eſt. Hujus ergo verè ſublimis, eximiæque Scriptricis, vel potiùs Cherubicæ, ac Seraphicæ Doctricis Opera, Summo, ac Doctiſtiſsimo Pontifici offerenda, ſummorum cum Theologorum Operibus meritò ſociata ſunt; ob omnimodam eorumdem operum præſtantiam, ob eorum cum Sacra Veteris, ac Novi Teſtamenti Pagina conſonantiam, in quibus nec latum unguem Theodidacta Virgo diſcedit â Sacris Eccleſię Catholicę traditionibus, â Sanctorum Patrum ſenſu, pręcipuorumque Scholę Doctorum. Hęc omnia, Deo Optimo Maximo concedente, ſuo tempore patefaciemus: oſtenſuri pręterea, Angelum eidem Sacrę Virgini dictare ſolitum, etſi nonnullibi Scotiſta videatur; nullibi tamen non fuiſſe, & eſſe Thomiſtam.

Hęc obiter dictá ſint, Sereniſsime, atque Eminentiſsime Infulate, in ſciolos illos temerarios, ac factioſos, qui Pariſiis, ſub ementita larva Sacrę Facultatis Sorbonicę omni laude digniſsimę, fas omne abrumpentes anno MDCXCVI. freti quorumdam Potentum impiorum hominum patrocinio, Theologicam inurere cenſu-

ram

ram auſi ſunt Primo Tomo Operum iſtorum, de proprio, ac nativo Idiomate Hiſpano in alienum, & exoticum oſcitanter forſan, ſaltèm non apprimè converſo. Totius rei geſtę ſeriem, rationemque pandit in conſpectu Solis, Pręfatio illa, quam Pariſiis Matritum mittendum curavere Viri Pii, doctique, qui teſtes interfuerunt oculati. Sed jam ſecuris ad radicem poſita eſt; nec poſthàc audebit muſsitare quiſquam. Factum enim eſt ſpeciali Numinis providentia, ut cauſę huic ſummam admoveat manum ad Summi Pontificatus apicem evectus Vir omnigenę eruditionis, exactiſsimę critices, utriuſque Juris, Eccleſiaſticę Hiſtorię, ac profanę, Rei Philoſophicę, ac Theologicę, & quod caput eſt, ſolidiſsimę pietatis laude omni pręſtantior. Quàm bene! Purpurate Sereniſsime, cum abſque aſſentationis periculo, ſumma ipſius poſt Chriſtum Dignitate ſepoſita, hęc, & plura dici poſſunt de Authore Tanto; cujus Operum lectione doctiſſimus quiſque doctior evadet. Ipſe itaque Doctiſsimus, ac Sanctiſsimus Pater cauſam hanc vix inceptam reperiit: Ipſe tramites deſignat omnes, viamque ſternit ejuſdem cauſę ad effectum feliciter, ac breviter perducendę. Hęc, & plura ex literis ſuis Apoſtolicis deſuper emanatis, benignitate paterna pleniſsimis, Reverendiſsimo Pa-

tri Generali Ordinis Nostri Ministro, datis die XVII. Januarii superioris anni MDCCXLVIII. studium Optimi, ac Sanctissimi Pontificis super hoc negotio plenè demonstrant. Ipse ergo, victurus pro totius Ecclesiæ Dei bono, pariter ac votis, in Nestorios annos, causam hanc, quam paterna solicitudine promovet, feliciter absolvat; scripta de Cœlo delapsa canonizet; Theodidactę Scriptricis instituat Apotheosin, ad Dei Optimi Maximi Gloriam, Sacratissimę Deiparę honorem, in piorum omnium solatium, Ecclesięque Militantis ędificationem.

Et alię quidem bene multę, hujus Panoplię Speciminis Celsitudini Tuę dedicandi suppetunt rationes, altioris momenti per omnem modum. Cui enim congruentiùs dicanda fuerint Arma hęc Militantis Ecclesię spiritualia, (*) potentia â Deo ad destructionem Munitionum errorum, hęreticarumque cavillationum, & prompta ad ulciscendum in omnem impietatem, extollentem se adversùs Dominum, & adversùs Christum ejus, ac Christi Vicarium, quàm Regio, ac Serenissimo Infulato, Purpurato Eminentissimo, Regali Sacerdotio secundùm ordinem Melchisedech instructo, paribus ad Dignitates amplissimas ornato virtutibus? Jure insuper

(*) 2. Cor. 10. ℣. 4. 5. 6.

insuper hȩreditario Clarissimorum Heroum, Regum Magnȩ Britanniȩ, ac Poloniæ, Regias virtutes, animumque senilem in Juvenili Pectore possidenti? Isti equidem Progenitores Tui Augusti, accincti decore, ac fortitudine, Arma sȩcularia strenuè gesserunt, ac feliciter; jactantes romphæas in Ecclesiæ hostes, jura Regnorum suorum, totiusque Christianæ Reipublicȩ vindicantes asseruerunt.

De Avo Tuo Serenissimo JACOBO Secundo, Magnæ Britanniæ, Franciæ, & Hiberniæ Rege semper invicto, prætereundum non est; quanta cum Animi magnitudine efferatas superaverit Anglorum Turbas, ab impietatis Spiritu iniquissimè in Ipsum concitatas: quanta cum virtute bellum perfidæ, atque ingratissimæ Gentis administraverit: Jura eorum læsa, de Batavo insolenter elato triumphans, vindicaverit. Nec facile dictu est, quanto cum vitæ suæ discrimine hoc præstitit; illo præsertim navali prælio, quo Aplustre Batavum humiliavit; Nave prætoria, cui præerat ardens Archithalassus, ab hostilibus tormentis in assulas conquassata. Nec pedem inde referre vellet, donec laxis compagibus, concussa Navis, ac fatiscens, inter marinos vortices penè subsideret. Nec majorem se præbuit summa rerum Paterni Imperii

potitus, quàm cum Plebis perjuræ, ac tumultuantis, apertæ rebellioni ſeſe ſubtrahens, non jure cedens, dimiſerat: quinimò de Regnis ſuis proficiſcens, nihil omnino fuiſſe, quod reliquerat, liquidò comprobavit. Juſtitiam, Pietatem, Fidem, omnes ad unum virtutes ſecum aſportans, eripuit â ſceleratis, rebellibus, impiis, atque infidelibus Subditis, quorum potiùs intererat tanto Regi ſubeſſe. Bonum ergo certamen certavit Monarcha Pientiſsimus, qui improperium JESU ſuſtinens, Fidem ſervavit, devicit Inimicos Crucis Chriſti. Hæreditatem hanc immaculatam, quæ Reges Regni Cœlorum inſtituit, Rex Avus in Regem Sereniſsimum Genitorem Tuum tranſtulit, poſteris ſuis clariſsimis tradendam; nec pro verſatili Anglorum fide, aut inſtabili eorum Diademate, atque inani Sceptro, in æternum commutandam.

Cui autem comparabitur Heros Ille Glorioſus, Maternus Proavus Tuus, memoriæ immarceſsibilis, JOANNES SOBIESKI? Joſuæ? Gedeoni? Sampſoni? An Davidi? Ipſe eſt, qui Sarmatarum ſuorum coacta validiſsima, atque invicta manu, ad Urbem Metropolim S. R. I. ab immaniſsimo Turcarum Tyranno, cervicibus Populi Chriſtiani inſultante; obſeſſam; ad deditionem penè conquaſſatam; erutamque,

accurrit

accurrit ut Leo, advolavit ut Aquila, & ſanitas in pennis ejus. Is ipſe eſt, qui moræ omnis impatiens, quò citiùs obſidione Urbem eriperet, Sereniſsimo Lotharingię Duci, Imperialium Copiarum Archiſtratego clariſsimo, ordinando rituali intento, quo tanti Auxiliatoris decoro proſpiceretur, & honori Copiarum Suarum, ut par erat; re cognita, occlamavit extemplò: Apagę inanium Rituum Codicem iſtum, Dux Sereniſsime! Rex Cracoviæ remanſit: nec alium Tibi hìc ſiſti putes, quàm laborum tuorum ſocium, conſortem, participem. Quid hiſce nugis ergo tempus abſumimus, luctante in extremis Urbe Imperatrice? Eja! Actutùm in hoſtes, mihi, meiſque quavis demum ſtatione conſignata. O ſententiam tanto Heroe dignam! Sed incalente jam pugna, cum fureret in certamine, Ipſo vel Mavorte major, Cataphractus Rex; quas non edidit hoſtilium Legionum ſtrages? Caderent cùm â latere ſuo mille, ac decem millia â dextris. Cùm exultaret audacter Bellator Equus, de Tanti Seſſoris Gloria ſuperbiens; pavorem contemneret; nec cederet gladio. Fervens, ac fremens Agmina Turcarum denſiſsima dirumpens penetraret, Regio Seſſore neces quaquaverſus diſtribuente; donec Palladium barbaricum, Primum Pſeudopro-

 phetæ

phetæ Vexillum, â primis temporibus intemeratum, infidelibus honoratum, ac Sanctissimum; sed jam Christi Vicario consignanda Trophæa; Signifero barbarico prostrato extorqueret viritim, ac propria virtute Bellipotentis Dexteræ.

Augusto Parenti suppar, horrido isti, ac difficili bello interfuit, etiam & Secundum belli Fulmen, Regius Poloniæ Princeps, Avus tuus Serenissimus, JACOBUS SOBIESKI. Quæ fortitudinis ingenitæ specimina non præstitit Heros Hic, viridi adhuc Spectabilis Ævo vix octodecem annorum, Paternæ virtutis, & Gloriæ Æmulator ubique, ubique Particeps? Id testata sunt Turcarum ad Viennam munitissima perrupta valla; testati ad Strigonium strati cadaveribus Campi; testatus ac toties intinctus, & spumans barbarico cruore Danubius. Nec ambo priùs cessarunt â fœdere, aut bello abstinuere, quàm Rebus Domus Austriacæ in solidum redintegratis, ac provectis; emendicatam supplex exoraret pacem fœdifragus, ac perjurus Otomannus. Verùm eloquar, an sileam, PRÆSUL CLARISSIME? An bene apud memores veteris stat gratia facti? Non enimverò! Proh pudor!........

Nonne indignantem totam perculit Europam,

pam, Regiæ Virginis CLEMENTINÆ SOBIESKI. ( Proh Nomen ſuaviſsimum! ) ad Arcem Oenipontanam, ſeu Inſprucenſem interceptio, arctaque ſub armato milite cuſtodia ? Siccine ergo, CAROLE Auguſte, magni illius JOANNIS SOBIESKI Neptim intercipi cogis, ac vexari ? Siccine Jura Sacratiſsima Gentium apertè violas ? Sic amicitiæ leges, ſic hoſpitalitatis, omnes ſimul infringis ? Ah! Non ita Leopoldus, Vienna illa Tua ab infidelibus copiis circumvallata. Improbabile facinus iſtud, & immane, Proborum omnium ſuffragia damnarunt. Parum eſt: Ipſimet perjuri, ac rebelles Angli pariter, Uſurpator & ipſe Brunſvvicus, Meticuloſam illam, ac pluſquam Fœmineam Curiæ Viennenſis facilitatem, clam deridentes, factum deteſtati ſunt, ſocii quàmvis fuerint, ac participes delicti. Ipſos interroga: non diffitentur. Verùm Adoleſcentula Regia Diis genita, ac genitura Deos, forte feliciore, atque ampliore digna, cuique ab incunabulis, in deliciis erat Anglorum ſalutari Reginam, Hà gentem indignam! Etſi ad tempus intercipi poterat, teneri autem diu non potuerat. Illatis commota injuriis, non angi, non conqueri, non flere, ſed veteres Heroidas ſuperans fugam parat, ſocios indicit itineris, & inſtruit; Teutonicas eludit Excubias

ſomno

somno, vinoque sepultas. Quid plura? Nocte elabitur intempesta, ac procellosa, paucorum Nobilium Asseclarum fideli comitata famulatu: nec restitit, donec Bononiam perventum esset, *Dux Fœmina Facti.* Euge Factum Amazone tanta dignum, ipsis hostibus probatissimum! Macte Virago Augusta! Jam verò Reginæ Pientissimæ virtutes reliquas, digno quis possit exigere stylo? Qui habitus mentis! Qui decor vultus, totiusque venustissimi corporis Ordo modestissimus! In domesticos Aulæ suæ, quàm blanda comitas! Quæ morum suavitas! In Regem autem quantus amor! Observantia quanta! Quæ autem cura! (Proh Deum immortalem!) Quanta solicitudo! Quæ vigilantia! Qui zelus in susceptæ utriusque Regiæ Prolis institutione! Augent ista religens in Deum Pietas, frequentia sacrorum indefessa, congeminatæ preces, invicta fides, fixa æternorum spes, in Deum, proximumque charitas ardentissima; effusa in pauperes materna miseratio. Sed Deus terris ratus invidendam transtulit astris. Tametsi enim in ætate vigeret adhuc florida, citò tamen maturavit ad debitam Immarcessibilis Gloriæ Coronam. Et hæc paucula de tantæ Reginæ meritis, virtutibusque, excursu potiùs quodam, quàm mora: Reliqua,

quàm multa! Biographos dilaudanda maneant.

Nec patiar (Quis patiatur enim, CARDINALIS AMPLISSIME?) ſilere hìc de Sereniſsimo VValliæ Principe, Germano Fratre Tuo CAROLO EDUARDO. De Regio, inquam, Juvene ASCANIO. O amabilis Aſcani, expectatio Gentium, & deſideratus earum! Prodeant nunc ſuperiorum retro ſæculorum omnes ad-unum Fortiſſimi Bellatores, Clariſsimi Duces, Laureati Heroes: Uni omnes ASCANIO Palmam cedunto. Huc aliquantiſper animum advertite, Angli vecordes, & infatuati. Agedum, dicite Rebelles addicti: Qualem ſeſe præſtitiſſet in ſimilibus rerum anguſtiis, diſcriminibuſque conjectus, quibus ſuaviſsimus ASCANIUS Veſter, Ille militari Gloria Illuſtriſsimus HANNIBAL? Qualem Marcellus Claudius, qui ſtravit Pænos, Gallumque rebellem? Aut cunctator Egregius Fabius ille Maximus? Vel Africanus Ipſe Scipio? Num ASCANIO veſtro ſupparem ſeſe oſtendiſſet Magnus ille Expugnator, ac Domitor Orbis ALEXANDER? Aut Alexandro Major JULIUS CÆSAR? Aut major ambobus, novus Alcides, Terror omnium veſtri, ac Fœderatorum veſtrorum, Saxo Nobiliſsimus hodiernus, ipſe MAURITIUS? Perpendite ex æquo res; ducite rationes.

Intue-

Intuemini loca, tempora; rudes Aſcanii copias, Tyrones collectitios penè inermes, belli expertes, & ignaros; numero, infra dimidium Rebellium agminum veſtrorum, ſemper impares; præcluſos commeatibus aditus omnes; nec bellici apparatus, & annonæ caritatem, ſed inopiam. Actuoſiſsimi deinde, ac vigilantiſsimi Aſcanii ſtratagemata crebra, Velitationes, Prælia, Victorias. Ad Mancunium uſque in tractu Lancaſtrienſi, in ipſis Angliæ penetralibus irruptionem, qua contremuit ſuperba illa veſtra Auguſta Londonienſis, Liberatoris ſui ad adventum exultare cùm debuiſſet: expavit, & Uſurpator ipſe, jam jam inde de Regno, non ſuo, faceſſurus. Egregium ſubinde, famoſiſsimumque Aſcanii receptum in Albaniam, ſalvis ſignis, ac dignitate militari; quo nec decem millium Xenophontis regreſsio glorioſior; invitis undique ipſum circumſiſtentibus rebellibus copiis veſtris, ad nutum Ducis Cumbricenſis. Iſta, inquam, omnia, penſitote. Facta hæc Principis veſtri imminuite, *mentientes pro more veſtro*, ſi audetis. Verùm glorioſiſsimi, probatiſsimique Aſcanii Facinora, Rei bellicæ peritiam, Heroicam in adverſis Conſtantiam, Fortitudinem, Magnanimitatem, benigniſsimam affabilitatem, effluentem in omnes Regiam Munifi-

nifi-

nificentiam, morum ſuavitatem humaniſsimam, venuſtiſsimi vultus decorem, pulcherrimumque totius corporis habitum, ſimilem Filio Dei, totus delaudat, & perſonat Orbis; admiratur invitus, & invidet, Ipſe ſtupens, attonituſque Brunſvvicus: & Vos admiramini, ô perjuri rebelles, agnoſcentes, vel inviti, in Aſcanio veſtro, Militem, Ducem, Heroem ſine pari.

At inquis: Nonnè perdoluit Aſcanius? Nonnè turbavit animum? Nonnè flevit? Nonnè lachrymatus eſt? Inde ergo amabilior: Inde Illuſtrior: gloriosior inde; inde deſiderabilior Aſcanius meus. Nonnè (*) *infremuit, & turbavit ſemetipſum* Ipſe Filius Dei? Nonnè (*) contriſtata *eſt uſque ad mortem Anima ejus* Sanctiſsima? Nonnè (*) *videns rebellem Civitatem flevit ſuper illam?* Nonnè (*) *lachrymatus eſt JESVS* Amici ſui interitum? Ad hæc quid reſpondes, Hæretice? Suorum itaque ſortem, non ſuam, flevit humaniſsimus Aſcanius, quo Duce Vos indigniſsimi eſtis. In juſtiſsimam autem perduellionis veſtræ vindictam, habetis durum Cumbricenſem, qui riſit, & exultavit in interitu veſtro ad Cladem Fontenoyenſem, & alibi ſæpe. O Deum! Clariſsime Mauriti! Si inſtructos in Te duxiſſet Britannos ſuos novus Hic furvus Eduardus! Si Hibernos ſuos



(*) Joan. 11. 13. (*) Mat. 26. 38. (*) Luc. 19. 41. (*) Joan. 11. 35.

duxisset! Non: ita me superi, ad lacessendum alacres reddidisset Gallos vel ipsius Christianissimi Regis præsentissimus clamor, quàm ad fugam præcipites Sanctum, ac Terribile nomen Eduardus. (*) *Verùm divisum est cor eorum, nunc interibunt.* Abest Eduardus: Io Pæan Galli! Jubilate, & exultate indubii de triumpho. Copias ducit Cumbricensis perfidæ Gentis Anglicanæ, ac perjuræ. Terga vertant Angli, & Gallis: & cadant, & moriantur, & conterantur, & proculcentur, vidente hæc Cumbricensi siccis oculis, nec miserente.

Nec minora militaris Gloriæ specimina de Te augurari licuit, Dux Eboracensis Serenissime, cùm ad Gessoriacum littus constitisses acer in armis, proximè trajecturus in Angliam ad Augusti Genitoris Tui Jura vindicanda; miserrimos, & obcæcatos Anglos Tuos, ab alienigenarum sæva tyrannide, ac servitute dura, in libertatem Filiorum Dei, Ascanii Tui desideratissimi Gloriæ Socius, asserturus. Verùm proh dolor Ecclesiæ Catholicæ! Proh pudor ingenuorum omnium! Nusquam tuta fides: corruit in plateis veritas. O Ludovice None Castissime! Scombrus quidam aulicus, obstupescite, Cœli! Seu ex orco potiùs emersa Harpyia, Anathemata illi; cadat ante diem, in

(*) Oseæ, cap. 11.

in culpa fuit, ut re infecta resilires. Id publicè per totam personuit Europam circumductum Tetrasticon carmen, hisce oculis Ipse vidi, Ipsemet ego legi, exaratum priùs lingua Gallica, Hispanica deinde vulgatum; Illustrissimo dicatum Duci Richeleo, latus tuum tunc ad Gessoriacum cingenti.

Verùm ego quid loquor, aut ubi sum, Infulate Serenissime? Ista quò me rapiunt terrena, & caduca? Nonnè solius Crucis Christi subsidio effecta est Anglorum prima conversio? Nec secunda aliter efficienda erit. Ergo misericordiæ Dei, quam precibus exoret Ecclesia, debebitur perditæ Gentis emendatio; (*) *Nisi enim Dominus ædificaverit Domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam*. Hodierna profectò Anglorum Sors, tametsi non ita miseranda videatur, quippe quam sibi ipsimet adscivere, lachrymis amarissimis deflenda tamen est. Quæ enim Totius Orbis alia Gens adeò obærata, ac rationibus obstricta? Nonnè credere refugit animus, quàm oppressa sit Anglia ære alieno immenso, atque insolubili? Nonnè obruta est? Nonnè animam debet Gens infelix Anglicana? Verùm damna ista parvi pendenda. Quis autem æquanimiter tulerit monstrosissimarum Hæreseon examina tetra longè per

(*) Psalm. 126.

per Angliam, latèque grassantia? Eo enim impudentissimæ contumaciæ, cæcitatisque deventum est; ut nulla sit hæresis, error omnino nullus, nulla prorsus impietas, quæ vacuum sine mente Popellum Anglicanum non depopuletur; magnamque sibi videtur assumere Religionem, quia nullam omnino respuit falsitatem. Ibi bene audit Simon Magus, malè autem Simon Petrus. Ibi Cerinthus Impius, ibi Arius, ibi Socinus uterque, ibi blasphemus Servetus, quem nec Calvinus ipse pessimus tolerare potuit, asseclas insanorum Dogmatum suorum, obtentu scilicet reformationis, in procinctu habent; nec auditur Joannes castissimus altè intonans: (*) *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Verùm, ô sortem adhuc acerbiorem gentis quondam piissimæ! Quantum in eos prævaleat spiritus mortiferæ impietatis, qualiterque tot animarum myriades, pretioso Sanguine Agni immaculati Christi, & incontaminati redemptarum, quotidie devoret truculentissimus infernalis Leo; vel maximè testantur innocui gregatim decedentes sine Baptismo, infantuli eorum fanaticorum, quos jam tremblantes, seu tremulos, â quodam Cerdone vilissimo deductos, jam Baptistas appellant.

(*) Joan. 1.

Ista patitur Senatus Britannicus de Christiano Nomine, ac Reformato jactantior! Quidni patiatur Synagoga Satanæ? Patimini & vos, immo & ista probatis, Anglorum Infulati. *O Pastores, & Idola*, (*) *derelinquentes gregem!* Vos Pastores Gregis Christi? Vos Successores Sanctissimorum Antistitum Augustini, Dunstani, Anselmi, Thomæ, Edmundi, Malachiæ, Laurentii, Richardi, Eguini? Vos in (*) pellibus ovinis Lupi rapaces. Isti de supernis (*) erant; vos de deorsum estis. Isti zelo animarum igniti, Apostolorum æmuli, mortificationem JESU in corporibus suis circumferentes, (*) conversationem suam jugiter in Cœlis habebant; (*) vos autem lautè pasti, & opiparè, quoniam de terra estis, de terra loquimini; nitidos vultus, & obesa corpora circumfertis, lascivientes cum mulierculis vestris, pilentis in mollibus, ac stratis eburneis. (*) Isti per ostium introducti sunt in ovile; vos aliunde ascendistis non vocati. Isti veri Pastores erant, pabulo salutaris doctrinæ, immaculatisque moribus Oves Christi nutrientes, lupisque sese pro Ovium salute generosè, ac fideliter objicientes: Vos autem, reprobi mercenarii, fures estis, & Latrones; lupis venientibus nedum non obsistitis, sed & obsecundatis, fidei proditores,

ac

(*) Zach. c. 11. (*) Matt. 7. 15. (*) Joan. 8. 23. (*) 2. Cor. 4. 10. (*) Philip. 3. 20. (*) Joan. 10.

ac Patriæ. Isti venerunt ut vitam haberent oves, & abundantiùs haberent; vos autem furari venistis, mactare, & perdere. Verùm qui, & unde estis vos? Num de Popina Capitis equini oscitantes â vino, & vacillantes? Undecumque sitis, væ vobis; quoniam *inventus est sanguis animarum pauperum in alis vestris.* Væ vobis iterum, quoniam quum apparuerit Princeps Pastorum Christus, pastores fideles immarcessibili Corona donaturus;vos,qui non Gregem Domini pascitis, sed vosmet, ejiciemini in tenebras exteriores, ubi fletus æternùm erit, & stridor dentium. Intelligite hæc, uxorati Antistites, & rebelles, qui obliviscimini Deum, nè quando rapiat, & non sit, qui eripiat. Audite, inquam, & redîte prævaricatores ad cor.

Quoties voluit (vult & etiamnum) Pientissima Sedes Apostolica congregare vos, quemadmodum Gallina congregat pullos suos sub alas,& noluistis? Videte, quoniam non quærit datum vestrum, sed vos. Nondùm lassati in via iniquitatis animadvertitis, quàm durum vobis sit contra stimulum calcitrare? Expergiscimini Ebrii, & non â vino charitatis. Quàm sit invidenda vobis Suecorum,Danorumque conditio, quę-so penditote. Apud hos remanet umbra saltèm aliqualis unitatis Ecclesiasticæ, Sacræ Religionis,

ac Pietatis priſtinæ: apud vos autem nè umbra quidem, ſed abominatio deſolationis, & ſolitudo mera. Cimbri quidem, ac Sueci, omnes ad unum, tenaciter adhærent (malum eſt, minùs intolerandum tamen) heterodoxæ confeſsioni Auguſtanæ, nec latum unguem ultra; cujus plerique errores, vix, aut rarò quemquam de Plebecula plurimâ concernere poſſunt, vel afficere; nec Plebani quidquam prætereà docere audent. Infantulos ſuos regenerari curant omnes ex aqua, & Spiritu Sancto; unde ſeges propemodum immenſa, vel invita hæreſi, Eccleſiæ Dei in dies accreſcit animarum, Infantum ſaltèm, quæ ſalvantur. Apud vos autem, Paſtores veternoſi, Præcurſores Anti-Chriſti, unuſquiſque in ſuo ſenſu, ſeu phreneſi potiùs, abundat; nemo verò eſt, qui ſenſum Chriſti habeat. Unitas omnis doctrinæ, ac diſciplinæ exulat. Ecce vobis ex dolio iſto vociferatur inſanus fanaticus miniſtellus; ex adverſo ſuggeſtu Socinianus, Mahometano pejor, Auctas Arianorum blaſphemias, â Patre mendacii edoctus, intonat. Hinc muliercula deblaterans, contra Edictum Apoſtoli populum inſanum doctura, furiata mente inſilit in Tripodem. Illinc Deiſta perditiſsimus, Atheus aliunde, ſpeciem pietatis omnem, certatim, collatiſque manibus, convellere nituntur; impunè omnino omnes. Verùm quid

mirum? Si ex iſtis ad Epiſcopales Infulas ſine delectu provehuntur, & indiſcriminatim? Nonnè Atheus, vel ſi quid pejus, vir agreſtis ille, ſcænicus egregius, ac ſimulator toties de perditiſsima vita præjudicatus, & comperendinatus; Sarisburienſis Burnettus, bis, vel ter uxoratus? Apage Monſtrum Infulatum! Apud ipſos inſigniores Proteſtantes memoriæ damnatiſsimæ. Nonnè Athei, Deiſtæ, Sociniani, alii bene multi? Videantur eorum in Scriptis perverſiſsima Dogmata. Hęccine Anglorum pretioſa illa libertas! Hæc adeò decantata ad nauſeam uſque eorum Reformatio nempe? Natio comœda eſt, HENRICE PIENTISSIME, Gens abſque conſilio eſt, & abſque prudentia; â planta pedis uſque ad verticem, non eſt in eo ſanitas; ſed vulnus, & livor, & plaga tumens. Utinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſsima providerent. Oſtendat eis Dominus miſericordiam ſuam, eoſque reducens dirigat in viam ſalutis æternæ. Tunc ad Regem ſuum convertentur; quærent cum lachrymis Aſcanium ſuaviſsimum; Teque, HENRICE SERENISSIME, deſiderabunt, quod Probi omnes exoptant. Intereà ſtent in ſignum, in Deridiculum, atque in Sibilum cunctis gentibus; cum evanida illa ſua, umbratili, ac de mero nomine libertate.

SALU-

# SALUTATIO

## Ad Sanctissimum Patrem Nostrum

# BENEDICTUM XIV.

## Pontificem Optimum Maximum.



S, qui nedum potenter, sed & maximè sapienter omnia, quæcumque voluit, fecit in Cœlo, & in Terra, Deus Noster, PATER BEATISSIME, Ecclesiam suam unicè dilectam, (*) â constitutione Mundi ædificans in Corpus Christi, summè gratiosa, ac miranda varietate, stratis per ordinem lapidibus pretiosissimis exornat, atque distinguit. (*) Ut Sapiens Architectus, ac Magnificus fundamenta illius jecit, solidè, immobiliterque



(*) Rom. 12. 4. 5. (*) Isai. 54. 11. 12.

in Montibus Sanctis Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, (*) ipso summo angulari lapide Christo JESU; ut verissima sit Turgida illa, sublimis, & extatica Davidici Carminis Sententia: (*) *Fundamenta ejus in Montibus Sanctis*: & illud: *Gloriosa dicta sunt de Te, Civitas Dei!* Civitatem hanc impetendam fore, & arietandam prævidit Artifex Sapiens, ac providus Christus: sed cùm ipse Dei Virtus sit, & Sapientia, Portas Inferi (*) adversùs eam non prævalituras affirmans adpromittit. Omnem propellit timorem; dubios omnes tollit eventus; cùm Spiritum Veritatis â Patre procedentem, ac de meo accipientem, ait VERITAS Ipse, omnem veritatem Discipulos docturum, (*) omnia, quæ Filius â Patre audivit, dixeritque Discipulis, eisdem suggesturum, confirmat, Qui fallere non potest, nec falli, Magister Bonus, Verbum Patris, Caro factum. Nec dixisse semel satìs est: Juvat usque idipsum sæpiùs repetere, altiùsque dicta sua, nè fragili mortalium memoria exciderent, inculcare. *Ecce*, inquit, *Ego*, non alius: (*) *Vobiscum sum*, nec dicit ero: nec ad diem, mensem, aut annum, sed: *Omnibus diebus*: nec ad unum, aut plura Sæcula, sed: *Ad consummationem Sæculi.*

(*) Ephes. 2. 20. (*) Psalm. 86. (*) Matt, 16. 18.
(*) Joan. 16, 13. (*) Matt. 28. 20.

*Sæculi*. Hæc eſt Civitas refugii ſupra Montem poſita, fulgoribus Solis æterni perfuſa. Hæc eſt, inquam, (*) *Eccleſia Dei vivi, quam firmamentum prædicat Apoſtolus, & Columnam veritatis*; quamque qui non audierit, irrevocabili Servatoris ſententia tanquam Ethnicus habendus eſt, & Publicanus. (*)

Quanta ergo, PATER BEATISSIME, pravitatis hæreticæ cæcitas, quàmque enormis, quæ videre non vult, quam nemo niſi cæcus non videre poteſt, Civitatis Dei Noſtri Magnificentiam, Pulchritudinem, Ornatum, Splendorem! Ornamenta inter innumera, quæ Civitatem hanc Regiam copiosè decorant, adornantque, non poſtremum merentur obtinere locum; Sancti Doctores. (*) Hi ſexaginta ſunt illi Fortes, floridum veri Salomonis noſtri Lectulum apparatu Terrifico cingentes; omnes tenentes gladios ad bella doctiſsimi. (*) Hi ſubinde Cuſtodes, quos Vates Evangelicus vidit, ſtationibus quoſque ſuis poſitos, ſuper muros Jeruſalem, injuncto ſibi mandato, tota die, ac nocte, non tacendi laudare Nomen Domini. Hos Ipſe Adjutor in opportunitatibus Deus pro temporum exigentia ſuſcitat in defenſionem Corporis pariter, ac

 Spon-

(*) 1. Tim. 15. (*) Matt. 18. 17. (*) Cant. 3. 7. 8. (*) Iſai. 62. 6.

Sponsæ Filii sui, jura ejus qui strenuè asserant, immaculatumque Sacræ Doctrinæ Depositum sartum tectum custodiant. Ipsi Spiritu Veritatis edocti, Gladio Spiritus, quod est Verbum Dei, accincti; fide præmuniti, spe fortiter armati, charitate fervidi, hostiles omnes sustinent incursus, errorum latebras detegunt, anfractus omnes insanorum Dogmatum præpediunt, & obstruunt, cavilla tandem Hæreticorum cuncta, ac Technas extricant, ac dissolvunt.

*Quæ autem vocatio Tua*, OPTIME PONTIFEX, *ad hanc Christi compagem? Quod exerces ministerium? Quam geris pro tempore Personam in Ecclesia Dei? Quis es?* Quærit ex te in Persona Eugenii Decessoris tui D. Bernardus, (*) & respondet: *Sacerdos Magnus, Summus Pontifex, Tu Princeps Episcoporum, Tu Hæres Apostolorum, Tu Primatu Abel, Gubernatu Noè, Patriarchatu Abraham, Ordine Melchisedech, Dignitate Aaron, Auctoritate Moyses, Judicatu Samuel, Potestate Petrus, Unctione Christus. Tu es, cui Claves traditæ, cui Oves creditæ sunt. Sunt quidem & alii Cœli Janitores, & Gregum Pastores: sed Tu tanto gloriosius; quanto & differentius*

(*) 2. de Consid. cap. 8.

*tius utrumque præ cæteris nomen hæreditaſti. Habent illi aſsignatos ſibi Greges, ſinguli ſingulos: Tibi univerſi crediti, uni unus. Nec modò ovium, ſed & Paſtorum Tu unus omnium Paſtor.* Mellifluo Patri adſtipulatur Eccleſiæ Catholicæ Univerſitas formidanda, ac Terribilis ut caſtrorum Acies ordinata. Uno conclamant ore Doctores Catholici omnes: Tu Sacrarum Traditionum fidelis Cuſtos; Tu Doctrinarum Ponderator; Tu Opinionum Diſcretor; Tu Doctor Doctorum; Tu Divinæ Mentis Interpres fideliſsimus; Tu proinde Judex Controverſiarum Supremus: *Cujus terreſtre Judicium*, ait Præliator nobilis D. Hilarius, *præjudicata auctoritas ſit in Cœlo; ut quæ in Terris ligata ſint, aut ſoluta, ſtatuti ejuſdem per conditionem obtineant & in Cœlo.*

Jure ergo Specimen hoc Panopliæ Sacræ, qua munita ſub tanto Ductore Militans Eccleſia Sancta Dei in aciem procedit, impietatem omnem debellatura, Sanctitati Tuæ ad Pedes conſignatur. Jure ſub Paſtoris vigilantiſsimi umbraculum accurrunt Canes, Satellites fidi, & Cuſtodes Gregis, Domino ſuo adblandientes. Jure, inquam, ad Summum Doctorem aggregantur in procinctu Doctores illi, qui, ſub Magni Parentis Auguſtini ſig-

nis, obtinent in Aulis Ecclesiæ Catholicæ Principatum. Ergo præcipuos Scholæ Coryphæos, eo quo sibimet succedunt Ordine temporum, Sanctitati Tuæ suspiciendos objicit, ac suscipiendos, Serenissimus Introductor HENRICUS STUARD SOBIESKI, Dux Eboracensis Amabilis, Almæ Nostræ Metropolitanæ, ac Patriarchalis Ecclesiæ Hispalensis longè per Orbem, latèque Illustrissimæ Canonicus, Archidiaconus Carmonensis, â Te, PONTIFEX OPTIME, in partem Pastoralis Curæ assumptus in Archiepiscopum Bononiensem, postquam in Sacrum, Amplissimumque Collegium S. R. E. Cardinalium Ipsum coaptasses. Mecœnas ille Charissimus, Clarissimusque. Tu *Æstimator Augustus*, Summe Pontifex, Tu *Judex*. Quò autem ordinatiore methodo procedam, Specimen hoc in septem Articulos distinguam. Dicta (*) porrò, ac dicenda â me hìc, aut alibi quovis, omnia pedibus, ac judicio Sanctitatis Tuæ, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ humiliter subjicio, ac libenter: Etenim nec verbulum vel unicum proferre volo, aut intendo, quod Sanctitatis Tuæ sententiam in aliquo, vel minimo antevertere, aut Constitutionibus Apostolicis quibuscumque, Urbani præsertim Octavi, contravenire potuerit. Sit proinde

(*) Authoris Protestatio.

ARTI-

# ARTICULUS I.

## Venerabilis Anglus, plurimùmque ſpectabilis Senex, ALEXANDER ALENSIS offert ſeſe.

DOCTORIS IRREFRAGABILIS nec merita Te latent, OPTIME PONTIFEX, neque Doctrina. Eundem & Doctorem Doctorum, ac vitæ Fontem appellari in Scholis â pleriſque bene noſti. Quidni autem ita vocitetur, PATER BEATISSIME, Sanctiſsimorum Juvenum, ac Fratrum Chariſsimorum THOMÆ AQUINATIS, ac BONAVENTURÆ Præceptor Clariſsimus? Quanti facienda ſit Doctrina, Methoduſque hujus clariſsimi Doctoris, unus pro, præque millibus Angelicus Doctor Noſter D. THOMAS proteſtatus eſt. Etenim inquiſitus olim, quis modus eſſet optimus Sacræ Theologiæ ſtudendæ? Illico reſpondit: *Exercere ſe in unico Doctore præcipuè.* Inquiſitus ſubinde denuò, quis Is eſſet Doctor? Reſpondere non dubitavit, ALEXANDRUM ALENSEM Doctorem eum eſſe. *Teſtor*, ait Gerſo, *me ita legiſſe in Tractatu quodam de Viſione Dei.* Iſte plura ſcripſit opera Eccleſiæ

Dei.

Dei plurimùm proficua. Ego verò de Expositivis taceo, quæ nondum inspexi: de inspectis autem Operibus Scholasticis jamjam audebo proferre. Ista sunt: priùs: *Summa Theologica* locupletissima in quatuor Partes ab ipsomet Authore distributa, Jussu Innocentii Quarti Decessoris Tui elaboratè conscripta, in Quæstiones, Membra, & ista quandoque in Articulos, methodo mira, ac varietate, distincta; in qua quidquid in Sacris Bibliis, in Sanctorum Patrum Scriptis, Philosophorumque monumentis, aut abditi, aut reconditi erat; sicut eruditè, ita piè, longè exaratum, explicatumque est. Ut facile deprehendere sit, posteriores omnes Theologos ex hoc uno utì ex Fonte cuncta sparsim exhausisse. Subinde â septuaginta Doctoribus Parisiensibus approbata, & meritò; probata demum Apostolico ejusdem Innocentii Judicio, ac Diplomate speciali munita. Scripsit præterea *Summam virtutum*, opus planè aureum, ac Doctore Tanto omnino dignum. Insuper & *Libros Quatuor Sententiarum Magistri* Commentario illustravit egregio: Altero tandem Commentario nobili *duodecim Libros Metaphysicales* Aristotelis, Librosque de *Anima* elucidavit. Solidè, perspicuè, copiosè, subtiliter omnia, & orthodoxè, de quibus sit


ASSER-

# ASSERTUM PRIMUM IRREFRAGABILE,

## *Universam* Doctoris Alexandri Alensis *complectens Doctrinam.*

SIngulas ALEXANDRI VENERABILIS Resolutiones, in Operibus istis proximè laudatis, ad certum exigere calculum, res esset non adeò facilis lectioni potiùs, ac studio, quàm Notulis Arabicis intento. Proinde quotquot fuerint, totidem Nos ad mentem Tanti Magistri defendere parati sumus. Et primò de *Philosophicis*: omnia itaque, ac singula ejus Placita defendimus, sive ad *Logicam* ea pertineant, sive ad *Physicam* Peripati, sive ad *Animasticam*, ut loquuntur Nostrates, sive ad *Ethicam*, sive ad *Politicam*, sive denique ad *Metaphysicam*. Laudabiles tamen Neotericorum Conatus in perquirendis, ac mechanicè explicandis Phænomenorum causis, Rerumquè Naturalium proprietatibus, effectis, usibusque; ubi sibi bene constiterint, nec verbo Dei, quod Caput est, scripto, vel tradito contrariari deprehendantur,

tur, gratanter amplectimur. Ubi autem irriti hæserint, aut æqua lance ſteterint, vel dubia : unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet. Nos,nè in Phyſicis quidem,Ariſtotelem deſerendum judicamus. Porrò hæc eadem in ſequentibus ad finem uſque hujus Opellæ dicta eſſe intelligantur. Secundò de *Theologicis* : omnes etiam Aſſertiones IRREFRAGABILIS Noſtri Ducis, Sacroſancta Fidei noſtræ Myſteria, moreſque totius Populi Chriſtiani ad Amuſsim Sacræ Doctrinæ componendos,quoquo modo concernentes, *Defendendas* ſuſcipimus ; ſive pertineant Reſolutiones iſtæ ad eam, quam vocant Theologiam *Speculativam*, ſeu *Scholaſticam*;ſive ad *Aſceticam*; ſive ad *Polemicam*; ſive ad *Poſitivam*;ſive denique ad eam, quam *Moralem* vocant, & quidem pro utroque Foro. *Aſſerimus* prætereà: Rationes omnes ALEXANDRI Venerabilis ad ſingulas Reſolutiones, ſive probativæ proprii ſenſus illæ ſint, ſive ſenſus alieni infirmativæ, ut ita dicam,ſive ad Objectiones reſponſivæ; in omnibus ſupradictis tam *Philoſophicis*, quàm *Theologicis*, bene, & efficaciter probare, improbare, ſatisfacere.



ARTI-

# ARTICULUS II.

## Tempore ſolo Minor Alexandro Magiſtro ſuo, ſuccedit D. THOMAS AQUINAS, Clariſsimi Ordinis Prædicatorum Nobilis Alumnus, Splendidum Eccleſiæ Lumen, DOCTOR ANGELICUS.

DE Angelico Doctore HOC, plurima â Sanctitate, â Doctrina præconia Illuſtriſsima, BEATISSIME PATER; ni ſatius eſſet omnino ſilere, quàm congerendo pauca laudare remiſsè. Plenus eſt: nec laudationis noſtræ egens, cujus univerſum per Orbem tuba ex auro ductili buccinat encomia, laudeſque jugi canore nunciat, & concelebrat Eccleſia. Convertamus itaque ad Opera ejus aliquantiſper, doctrinamque, ſermonem, quibus evolvendis operam noſtram pro modulo ſemel impendimus, & iterum, iterumque ſinè tædio, aut faſtidio. Ubique ſibi Conſtans mole ſua ſtat. Quantum inſtar in

Ipſo eſt! Rem acu profectò tetigit, qui prior iſta protulit: *Stylus brevis, grata facundia, Celſa, Clara, firma Sententia.* D. THOMAM itaque meritò deprædicant, efferuntque omnes, de Ore cujus Angelico ubique ſplendor abſiſtit, Lucidus Ordo, Methoduſque mira. Rem plurimis fortaſsè mirandam audebo: Neminem prorſus æſtimare poſſe, quanti faciendi ſint cæteri omnes Scholæ Principes, qui Opera D. THOMÆ non perlegerit penè ad ſcribendi ſolicitudinem; neminem, qui ita perlegerit, auſurum impugnare bona fide. De exilitate mea fatebor, PATER BEATISSIME, D. N. Subt. SCOTI, de quo infrà, mentem nunquàm aſſequì potuiſſe, ſi tamen aſſecutus ſum; niſi ita pridem Opera hujus Angelici Præceptoris perſpecta habuiſſem. Id ipſum de cæteris Scholæ Anteſignanis, quorum Opera præ manibus habere poteram, de Condiſcipulo ejus Doctore Seraphico, de utriuſque Præceptore ALEXANDRO proximè laudato, de Duce Nominalium Ochamo noſtro, de Aureolo, aliiſque nonnullis palàm profiteor. Revera Doctor ipſe Angelicus hanc Sacræ Theologiæ Provinciam â Patre Luminum ſibi amandatam ſolus habuiſſe videtur præ cæteris. Quæ namque alii ſparſa tradidere, ipſe in unum corpus coegit eo, quem omnes

Theologi meritò demirantur, ordine, methodo perſpicua, ſolidaque ſubtilitate. Hìc Ipſe ſolus regnare videtur, aliiſque omnibus jura dare. Hìc videre eſt hunc Eccleſiæ Catholicæ Benjamin adoleſcentulum in jugi mentis exceſſu, ac dicentem: (*) *Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus*: (*) *loquere, Domine, quia audit Servus tuus*. Ita avida aure, & attenta, Eundem cerno haurientem in abſcondito Theſaurum deſiderabilem Sapientiæ ejus, quæ trahitur ab occultis, quam poſteà ſine invidia communicaret; palàm eructans pleno de pectore verbum bonum, verbum pietatis, verbum ſalutis. Opera ejus appello, quæ in Scholis omnium manibus quotidie teruntur; de quibus & nos anno ſuperiore 1747. ita Triduano Certamine Accademico in hac Antoniana Æde Hiſpalenſi propugnavimus ſequentis tenoris Aſſertum:

*Syſtema Thomiſticum Doctrinam univerſam Doctoris Angelici D. THOMÆ AQUINATIS complectens; ad genuinam ipſius mentem, Regidiorumque Thomiſtarum in Sacro Prædicatorum Ordine ſenſum defendimus. Auctoritatem extrinſecam, ſimul atque intrinſecam ejuſdem Sanctiſsimi Præceptoris propugnamus.*

*Hinc*

(*) Pſalm. 84. (*) 1. Reg. 3.

*Hinc asserimus in Scriptis tanti Doctoris nullam reperiri conclusionem; quæ ulli falsitati sit obnoxia, aut quæ solidæ veritatis non sit plena: nullum Antilogium; inconsequentiam nullam; sed omnia sibi aptissimè constare, & cohærere. Demum: omnes, & singulas rationes, quibus sua probat, aliorumque Doctorum placita impugnat, dissolvitque, efficaces esse, ac legitimè probare, faventibus Superis, demonstraturi sumus.*

Nè cui autem dubium suboriri posset, de quibus Operibus sic protulerim, sequentia in edicto tum evulgato ad calcem significare curavi. *Summam Theologicam in tres partes divisam: Summam Catholicæ Fidei contra Gentiles: Scriptum in quatuor Libros Sententiarum Magistri Lombardi: Scriptum secundum in eosdem quatuor Libros ad Annibaldum Cardinalem: Opuscula majoribus characteribus notata: Quæstiones, quæ Disputatæ vocantur: Quæstiones duodecim quodlibetas: Expositionem in primum, & secundum Perhiermenias: Expositionem in primum, & secundum Posteriorum Analiticorum: Expositionem in octo Libros de Physico auditu: Commentaria in quatuor Libros de Cœlo, & Mundo: Commentaria in primum, & secundum de Generatione: Expositio-*

*nem*

*nem in quatuor Libros Meteororum : Expoſitionem in tres Libros de Anima : Expoſitionem in parva Naturalia : Expoſitionem in duodecim Libros Metaphyſices : Tractatum de Ente, & Eſſentia : Expoſitionem in decem Libros Ethicorum ad Nicomacum : Expoſitionem in octo Libros Politicorum.* Et hæc de Operibus.

Data quidem opera Spartam iſtam navare decrevimus ſignanter ad ſenſum Rigidiorum Thomiſtarum in Sacro Ordine Prædicatorum: penes quos enimverò, abſque ullius injuria dixero, mentem D. THOMÆ, verumque intellectum inveniſſe me rebar ; aut certè ſperabam ſaltèm. Quî enim, inquam, fieri potuiſſet, ut in Ordine Nobili ſummorum Theologorum feraciſsimo, Ejus, quem ſibi â tot Sæculis in Ducem adoptavit, ac Præceptorem, mens lateret, ſenſuſque? Inter Hoſce porrò, præſens quod attinet inſtitutum, adnumerare clariſsimos aliarum inſtitutionum Theologos, Scholæ Dominicano-Thomiſticæ Aſſeclas, minimè detrecto; ſive Regulares illi ſint, utì Hieronymus Perez, Zumel, Palanco, Hurtado, PP. Salmanticenſes, aliique; ſive Presbyteri Sæculares, ut Illuſtriſſimus Caſtel, Carboni, quos omnes honoris cauſa nomino. Tacebo ipſius Clariſsimi Ordi-

nis

nis Theologos: nam, ut cæteros prætermittam, quibus aliorſum incedere placuit, quis modus orationis eſſe poſſet, qui finis, ſi vel præcipuos ipſius Angelici Præceptoris Diſcipulos nominare vellem? Quid inquam de Capreolo, de Eminentiſsimo Cajetano, Bañez, Melchiore Cano, Alvarez, Ferrarienſi, Soto, Bergomenſi, Ferre, Joanne â Santo Thoma, Nazario, Caponi, Lemos, Godoy, Gonetto, Aliaga, Montalvan, Perez, Benitez de Lugo, Maſſoulié? BONE DEUS! Quantos Viros! Horum itaque veſtigiis iterum inſiſtens, Arma capio Thomiſtica, ſupradictum Aſſertum denuò defenſurus; ordine dilucidiore nonnihil, atque explicatiore.

Sit itaque



ASSER-

# ASSERTUM SECUNDUM THOMISTICUM,

## *Doctrinam* Angelici Doctoris (*ad sensum Rigidiorum Thomistarum*) *complectens universam.*

DIVUM THOMAM tot patrasse miracula, doctrinales quot exaravit Articulos, prædicat in Apotheoseos suæ Bulla Summus Pontifex, PONTIFEX OPTIME BENEDICTE, Decessor tuus Joannes Vigesimus Secundus: nec id mirum esse debet Sanctitatem doctrinæ tanti Doctoris æstimanti. Quo autem pacto tot miracula effecisse perhibetur, quot scripserit Articulos, qui in nullo fermè disciplinarum genere quidquam reliquit intactum, inexploratumque? Nimirum, quoniam ubique sibi constans, suique similis Ipsius, ubique scripsit, ait alter Decessor tuus Clemens VIII. in omni fermè disciplinarum genere, miro ordine, sine ullo prorsus errore, OMNIA. Hoc itaque miraculorum caput est, Hoc summum. Patrent alii miracula transitura. Patrat Angelicus Doc-

tor in æterna tempora duratura miracula: Ita & Christi: *Cœlum, & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* O miracula Doctoris Angelici! Quæ! Quot! & Quanta! Sanè de Numero horum miraculorum alii laborent, quibus per otium licet. Nos de eorum qualitate, & conditione certos calculi non morantur. Spondeo proinde Deo Duce Optimo Maximo, â me nullum defensum iri errorem, Sanctissimi hujus Doctoris dum defendero miracula; Dogmata, inquam, ejus universa, inconcussa, tutissimaque, ad genuinam ejus mentem, Rigidiorumque Thomistarum in Sacro, ut præfertur, Ordine Prædicatorum sensum. Et *primò*: Dogmata Philosophica Ipsius, quaqua patent per Opera ejus suprà recensita dispersa, defendimus universa: sive ad *Logicam* ista pertineant, sive ad *Physicam*, sive ad *Ethicam*, sive ad *Politicam*, sive ad *Animasticam*, sive denique ad *Metaphysicam*. In omnibus istis Doctorem Angelicum absque ullo prorsus errore, seu falsitate scripsisse, affirmamus. De Neotericorum laudanda solertia recolligantur supradicta in Asserto Alexandri. *Secundò*: venio ad Dogmata Theologica Doctoris Angelici, in Operibus paulò superiùs agnominatis satissimè contenta. Ista omnia esse omnino verissima, immunissimaque ab omni prorsus errore, nedum Theologico Doctrinali, seu Practico, sed etiam purè speculativo, enixè *asserimus*, ac *defendimus*: sive pertineant ad Theologiam, quam *purè Speculativam*, seu *Scholasticam* vocant; sive ad *Asceticam*, seu *Mysticam*

*ticam*; ſive ad *Polemicam*, ſeu *Controverſam*; ſive ad *Expoſitivam* Veteris, ac Novi Teſtamenti; ſive ad *Ethicam Sacram*, ſeu *Moralem*, & hoc tam pro Foro Poli, quàm Fori, Eccleſiaſtici, quàm Civilis. Omnia in ſupradictis Angelici Præceptoris Operibus appoſitè ſibi cohærent & optimè; nullus Paralogiſmus; nullum inibi Antilogium. Omnes denique rationes, quibus Angelicus Doctor Dogmata ſua probat, ſive Philoſophica, ſive Theologica; aut aliorum Doctorum Placita refellit, aut objecta ſibi diluit; optimè, dicimus, & efficaciter probare, refellere, ac diluere. Sicubi problematicus eſt Angelicus Parens, nos de mente ipſius utramque problematis partem ad objicientis libitum defendere parati ſumus, cum cœteris Rigidioribus Thomiſtis.



# ARTICULUS III.

Alter, & Idem ſuccedit dilectiſsimus Doctoris Angelici Pylades, Condiſcipulus, & Collaureatus, Alexandri Alenſis altera Corolla, ac *magnæ Spes Altera Romæ*, DIVUS BONAVENTURA, Clariſsimi Ordinis Minorum Nobilis Alumnus, S. R. E. Cardinalis, Epiſcopus Albanenſis, Ardens, & Lucens Eccleſiæ Lucerna,

## DOCTOR SERAPHICUS.

PLURIMUS eſſem, PATER BEATISSIME, & in Volumina copioſa penè diffundendus, ſi per tempus congerere liceret, quæ, vel per exteros, in commendationem Sanctitatis, ac Doctrinæ hujus Seraphici Doctoris paſsim conſcripta ſunt. Laus Sanctitatis ejus in Ec-

clesia

clesia Sanctorum; cujus, adhuc viventis, Apotheosin prævênit Primus, brevi quidem, at sententia tamen ampla, ac turgida, Præceptor ejus ALEXANDER de eo prædicans: *In gratioso Juvene BONAVENTURA Adamum non peccasse videri.* Iterum prævênit nulli secundus Condiscipulus ejus, ANGELICUS AQUINAS, qui, eundem dum in mentis excessu raptum deprehendisset coram Crucifixo; ad suos conversus infit: *Sinamus Sanctum; laborat pro Sancto.* O BONAVENTURAM! O Sortem! Quanta præconia! Præcones quantos! Laudes autem Doctrinæ ejus, quæ flammea, quæ ignita, quæ ardens, quæ affectuosa, quæ succulenta, quæ denique Sapida tota est; â Domesticis mutuari nolo. Quas ipsi ab exteris mutuati sunt, mutuabor & ego, paucas tamen; nam si omnes, qui tandem futurus esset Orationis finis? Quanti fecerint Decessores tui, OPTIME PONTIFEX, & Eruditissime, Dogmata mirifica Seraphici Doctoris, etsi minimè *Sanctitatem tuam* lateat, in gratiam tamen aliorum breviter recolendum. Etenim pro Cœlesti, qua præstitit, sapientia acceptissimus, gratissimusque fuit B. Gregorio X. cujus eximiæ Sanctitatis testem Te Ipsum appello, PATER OPTIME, in Opere nobilissimo de

Servo-

Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione, in Appendice ad Lib. 2. â Pag. 673. ad Pag. usque 724. Hunc, inquam, SANTISSIMUM PONTIFICEM, cui probè perspecta erat castissima BONAVENTURÆ Doctrina, Pietasque probatissima, eundem, etsi nolentem, auctum amplissimis honoribus Cardinalitio, & Episcopali; Concilii Lugdunensis Subpræsidem nominasse testatur Andræas Saussajus in Martyrologio Gallicano tom. 1. ad diem 14. Julii per hæc verba: *Doctrina admirabili, & vitæ Sanctimonia singulari clarus (BONAVENTURA) Cœlestem in Patriam abiit, dum in Concilio Lugdunensi adesset: ad quod, ut præfulgidum Ecclesiæ Sydus fuerat evocatus â Gregorio X. Papa, ut illius potissimùm Opera in componendo Græcorum Schismate...... uteretur. Cujus (post edita eo in Augusto Cætu ingentia sapientiæ sibi divinitùs inspiratæ, necnon miræ pietatis lumina) repentinus occasus, magnum, non modò Pontifici Maximo, & Patribus Latinis, sed Græcis etiam, qui Virum Divinum magna in veneratione habebant, luctum attulit.* Quid? Quod Ipse SS. Gregorius publicè lugens, testatus est: in obitu BONAVENTURÆ Ecclesiam Dei magnam incurrisse jacturam!......

Verùm

Verùm uberiùs de Doctrinæ ejus præstantia, Decessoris Tui Sixtus uterque IV. & V. Ille quidem in Bulla Canonizationis: *Ea namque*, inquit, *de divinis rebus scripsit, ut in eo Spiritus Sanctus loquutus videatur* ...... Et Iste in Bulla Doctoratus: *Fuit enim*, inquit, *in S. BONAVENTURA id præcipuum, & singulare, ut non solùm argumentandi subtilitate, docendi facilitate, definiendi solertia præstaret, sed divina quadam animos permovendi vi excelleret: sic enim scribendo cum summa eruditione parem pietatis ardorem conjungit, ut Lectorem docendo moveat, & in intimos animi recessus illabatur, ac denique Seraphicis quibusdam aculeis cor compungat, ac mira devotionis dulcedine perfundat. Quam sanè gratiam in ejus ore, & calamo diffusam admirans Prædecessor noster Sixtus IV. Pontifex, illud dicere non dubitavit: Spiritum Sanctum in Eo loquutum videri.* Verùm qui ista plura, Bullam adeat utramque. Suffragatur Mauritius Bressius Doctorem Seraphicum appellans *Mundi Lucem, Ecclesiæ Sydus clarissimum, Facem Evangelii, Falcem Hæreseon, Ventilabrum Ecclesiasticorum Dogmatum, Securim emortuarum, & infrugiferarum Arborum, Propugnaculum Catholicorum, Arcem Fidelium. Nes-*

cio,

cio, ait piiſsimus Gerſo, *ſi unquam talem Doctorem ſicut BONAVENTURAM habuerit Studium Pariſienſe.* Et alibi: *Si quæratur à me, quis inter cæteros Doctores plùs videatur idoneus? Reſpondeo ſinè præjudicio, quòd Dominus BONAVENTURA; quoniam in dicendo ſolidus eſt, & ſecurus, pius, juſtus, & devotus: dum ſtudet illuminationi intellectus, totum refert ad pietatem, & Religioſitatem affectus.* Et alibi etiam: *Sortitus eſt idcirco ſecundùm laudem vitæ ſuæ, pariter & Doctrinæ, nomen ipſe BONAVENTURA, ut antonomaſticè Doctor Seraphicus nominetur. Docet hoc in ſpeciali, ſuum Itinerarium mentis in Deum, opuſculi, immo Operis immenſi, cujus laus ſuperior eſt ore mortalium. Docet & ſuum Breviloquium .....* Et iterum alibi: *Neſcio ſi præcipuus inter omnes numerandus ſit Euſtachius ... BONAVENTURA ... Ille enim ſingulariter inter omnes Doctores Catholicos, pace omnium ſalva, videtur idoneus, & ſecuriſsimus ad illuminandum intellectum, & ad inflammandum affectum.*


Conſentit Trithemius de Scriptoribus Eccleſiaſticis. *Ardentia verba proferens*, ait, *non minus affectum legentis in Chriſti amore accendit, quàm intellectum Doctrinis Sanctis illu-*

*illuminat: Omnes enim ſui temporis Doctores utilitate Operum facilè præcellit, ſi Spiritum Divini Amoris, & Chriſtianæ devotionis in eo loquentem attendas. Profundus eſt, non verboſus, Subtilis, non curioſus, diſertus, non vanus; flammantia, non inflantia verba proferens: unde & ſecuriùs legitur, faciliùs ab amante intelligitur, utiliùs frequentatur, dulciùs, & fructuoſiùs retinetur. Multi Doctrinam proferunt, devotionem prædicant multi, pauci ſcribendo Libros, docuerunt utramque: BONAVENTURA autem, & multos ſuperavit, & paucos, dum ejus Doctrina devotionem, devotio Doctrinam inſtruit.* Alios plurimos miſſos volo, quò citiùs ad recenſitionem Operum ejus deveniam. Et præſens quidem quod attinet inſtitutum, ſcripſit ſolidè, copiosè, ſubtiliter, ac devotè, *Commentaria, & Quæſtiones in quatuor Magiſtri Sententiarum Libros*, quibus mirificè delectatum fuiſſe Clementem IV. Virum eruditum, ac Sanctum, perhibet Petrus Annatus cum aliis multis. *Librum de Reductione Artium ad Theologiam. Breviloquium in ſeptem Partes diviſum. Centiloquium in quatuor Partes diſtributum. Pharetram per Quatuor Libros diſtinctam. Declarationem terminorum Theo-*

*logiæ. Compendiosum Principium in Libros Sententiarum. Sententias Sententiarum, Carmine digestas. De Quatuor Virtutibus Cardinalibus. De Septem Donis Spiritus Sancti. De Resurrectione â peccato ad gratiam. De Tribus Ternariis peccatorum. Diætam Salutis per Titulos decem ordinatam. Meditationes Vitæ Christi. Lignum Vitæ. De Quinque festivitatibus Pueri JESU. Officium de Passione Domini. Opus Contemplationis. Laudismus de Sancta Cruce. Philomena de septem Verbis Domini in Cruce. Speculum B. MARIÆ Virginis. Officium de Compassione B. MARIÆ Virginis. Corona B. MARIÆ Virginis. Carmina super Canticum* Salve Regina. *Laus B. MARIÆ Virginis. Psalterium Minus B. MARIÆ Virginis. Psalterium B. MARIÆ Virginis. De decem Præceptis. De Regimine Animæ. De gradibus Virtutum Formulam Auream. De Pugna Spirituali contra Septem Vitia Capitalia. Speculum Animæ. Confessionale. De Instructione Sacerdotis ad celebrandam Missam. Expositionem Missæ. De sex alis Seraphim. Collationem de Contemptu Sæculi. De septem gradibus Contemplationis. Fascicularium. Soliloquium. Itinerarium mentis in Deum. De septem Itineribus Æternitatis. Incendium amoris. Stimu-*

*lum*

*lum amoris in tres Partes diſtributum. De Eccleſiaſtica Hierarchia quadripartita. Legenda Sancti FRANCISCI. Expoſitionem in Regulam Fratrum Minorum. Determinationes Quaſtionum circa Regulam S. FRANCISCI. Apologeticum in Adverſantes Ordini ejuſdem Seraphici Patris. De Tribus Quæſtionibus ad Magiſtrum innominatum. De Paupertate Chriſti. De Sandaliis Apoſtolorum. Apologiam Pauperum. Bibliam Pauperum. Alphabetum Religioſorum. Collationes octo. Speculum diſciplinæ. De Profectu Religioſorum. De Perfectione Vitæ ad Sorores. Summam de Eſſentia, Inviſibilitate, & Immenſitate Dei. De modo Confitendi, & de Puritate conſcientiæ. De ſex alis Cherubim. Myſticam Theologiam. Compendium Theologicæ Veritatis in ſeptem Libros diviſum.* De quibus omnibus ſit




# ASSERTUM TERTIUM SERAPHICUM.

## *Doctrinam* Sancti Bonaventuræ *comprehendens universam.*



Abes ex supradictis, PATER BEATISSIME, quid sentiendum judicaverim de primis duobus Scholæ Doctoribus, Ven. ALEXANDRO HALENSI, & Angelico Doctore Divo THOMA. Hi Duo planè in Scholasticis disciplinis, Scriptorum copia longo intervallo Doctorem SERAPHICUM antecellunt: DIVUS AQUINAS præsertim, cui nullo negotio Scholastici omnes concedere tenentur. Nec id quisquam mirari debet. Ea enim extitit de Divo THOMA fortissima Numinis, ac suavissima Providentia, ut Eum uni huic Operæ mancipatum voluerit; nec â docendo, ac scribendo distrahi permisit; quantumvis id Summi optaverint Pontifices, quibus patebant, quæ neminem in Ecclesia Dei tota latuere, Viri Sanctissimi doctrina, virtutes, ac merita. Aliter de Doctore N. SERAPHICO provîdit; quem adhuc Juvenem, â munere docendi, ac scribendi avulsit, Ordinisque nostri periclitantis, ac penè subsidentis, regimini præfecit.

fecit. Nec Clavum dimittere permisit, donec diem extremum obiret Lugduni Navarchus Fidelis, ac Sanctissimus, postquàm octodecem exegisset annos in ministerio, gravissimis assiduè interim negotijs distentus. Ergo hìc non de numero, aut mole Scriptorum Sanctissimi DOCTORIS, quæstio agitanda; sed de qualitate doctrinæ, de pondere rationum, ac momentis. Et primò in *Philosophicis*: Doctoris N. SERAPHICI Dogmata inconcussa universa defendenda adoptamus, quaqua extenduntur ad Quæstiones *Logicas, Physicas, Animasticas, Ethicas, Politicas, Metaphisicasque*. Ea sibi omnia bene cohærent absque errore ullo, Antilogio, aut Paralogismo. Secundò in *Theologicis*: Methodicè hìc, ac Systematicè Doctor SERAPHICUS, per Opera omnia proximè recensita. Proinde Dogmata ipsius sapida, atque ignita, ad quintuplicem Theologiam, *Speculativam, Mysticam, Exegeticam, Polemicam*, ac *Moralem* pro utroque Foro, Ecclesiastico, ac Civili, attinentia, defendimus, ut immunissima ab omni nævo erroris speculativi, aut practici. Etiam & ista potiùs omnia, sibi bene constant, absque ulla Inconsequentia, aut Antilogio. Momenta SERAPHICI Doctoris ubique bene probant, & efficaciter, bene refellunt, bene, & plenè diluunt objecta.



ARTI-

# ARTICULUS IV.

## Venerabilis Pater Noſter, Dux Scotiſtarum, Theologorum Princeps, Veritatis Lima, Ingeniorum Phœnix, atque inter Philoſophos quidam Deus, JOANNES DUNS SCOTUS, MARIANUS, ac SUBTILIS DOCTOR.

SCOTO nihil arrogamus, PATER BEATISSIME, magno ALEXANDRO nihil derogamus, Maximo AQUINATI nihil, nihil SERAPHICO Doctori: Dum Doctoris Subtilis Ingenium Sublime, Cherubicum, ac prope Divinum efferimus ſuper Aſtra Cœli. (*) *Stella differt à Stella in claritate*; nec Stellæ propterea ſtellas eſſe deſinunt. Stellæ nedum ſteterunt, ſed & ſtant quæque in Ordine ſuo, nec excedunt è ſtationibus ſuis. (*) *Lucent cum jucunditate Ei, Qui ſe fecit, eaſque Vocanti ſtatim reſpondent, adſu-*

(*) 1. Cor. 15. 41. (*) Bar. cap. 3. 37.

*adſumus*. In procinctu ergo ad nutum Creatoris ſtantes, meritò in Sacra Pagina Militia Cœli ſalutantur. Jam verò quoniam (*) *qui ad juſtitiam erudiunt multos, fulgebunt ſicut Stellæ*; in iſtis bene Doctores Eccleſiæ adumbrantur; quorum unuſquiſque proprium Lumen accipit â Patre Luminum, unus quidem ſic, alius verò ſic. Spirituum Ponderator Ipſe Dominus eſt, qui ſoli Filio non ad menſuram dat Spiritum; cæteris autem, etiam Doctoribus, dividit ſingulis prout vult; ad menſuram planè, quam Solus Ipſe novit qui concedit. Itaque laudemus Viros Glorioſos, ac Parentes noſtros in generationibus ſuis, conſultè tamen, ac modeſtè, nemini dantes ullam offenſionem. Sicubi conferendi inter ſeſe Sancti Doctores, conferantur quæſo tanquam Stellæ, non tamen erraticæ, ſed fixæ. De quibus profectò, præſentis quod eſt Inſtituti, plurimùm arridet jucunda ſatìs hypotheſis illa, ac magnifica, ſubindeque Eccleſiæ Dei Militanti quàm optimè accommodanda, de Carteſianis Vorticibus. Quot Stellæ fixæ, tot ſplendidiſsimi centrales Soles Vorticibus quibuſque ſuis reſpondent, Quos ſui peculiariter Planetæ Ordine ſtupendo circumvolvuntur. Sic & in Eccleſiæ Auguſtiſſimo Firmamento, Ipſis vel Æthereis ſpatiis

(*) Dan. cap. 12, 3.

ampliore,

ampliore, hærent fixi Doctores, & collucent. Quòd si ista quisquam non perceperit, dedoceat eum præjudicia sua Gentium Apostolus, pariter ac Doctor, ad Rom. 12. *Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent; ita multi unum Corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Quis unquam oculum, quòd non audiat, aut aurem, quòd non videat, conquærentem audivit? Erubescant itaque, PATER BEATISSIME, qui ista considerare, ac perpendere negligunt; seseque abripi sinunt in probra, & maledicta malignitatis impotentis æstu, more frementium belluarum furentes, ac debacchantes sinè pudore, sinè modestia, ac sinè decoro, in Sanctissimos, piissimosque Ecclesiæ Doctores. Nec SCOTO nostro pepercere maledici fallaces, Divo THOMÆ nec parcitum est, nec vel Ipsi Maximo AUGUSTINO: & hoc â Viris Catholicis! Ac sæpe Religionem professis! (*) *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique: & si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo: tu verò Homo unanimis!* ..... Sed ista hinc jam facessant. Ego, sanè, si de piissimo viro, ac Sanctissimo Doctore N. MARIANO; laudes ingenii, Doctrinæ castissimæ, ac subli-

(*) Psalm. 54.

ſublimis, Humilitatis, Obedientiæ, Modeſtiæ, Caſtitatis Angelicæ, Evangelicæ Paupertatis, ardentiſsimæ in Deum, Proximumque Charitatis; Religentiſsimæ in Ipſum Deum Pietatis, in Chriſti Domini Sacratiſsimam Humanitatem, in Puriſsimam DEIPARAM (ecce totus Mundus abit poſt eum!) in Chriſti Vicarium, in Eccleſiam Ipſam; congeſtas in Eum â Summis Pontificibus, â Cardinalibus Eminentiſsimis, ab Illuſtriſsimis Infulatis, Epiſcopis, Abbatibuſque, â Theologis, â Philoſophis, ab Hiſtoricis, â Criticis, â Religioſis Ordinibus, â Principibus, â Cætu denique Fidelium toto Orbe diffuſo: ſi, inquam, laudes ejus iſtas attexere per tempus, otiumque liceret; priùſquam dicendi copia, deficeret vox, ſpirituſque. Provinciam iſtam alii fuſiſsimè, æquè, ac doctiſsimè, ſolidiſsimèque exantlarunt: Ego de Doctrina ipſius, anno ſuperiore 1746. pro concertationibus Scholaſticis, matutinis, ac pomeridianis, in hac Sacra Hiſpalenſi Antoniana Æde, pro focis, ut ajunt, & aris, ſequens propugnavi Aſſertum:

*Omnes Concluſiones, quas Noſter Venerabilis, Subtilis Doctor SCOTUS, profundiſsimè jecit ſuper Quatuor Sententiarum Libros in trino Scripto, Oxonienſi, Pariſienſi, ſeu Reportato-*

 *rum,*

*rum, & Quodlibetali, ad verbum propugnamus; defendimusque esse speculativè, & doctrinaliter immaculatas, id est, immunes ab omni errore, tam Philosophico, aut purè speculativo, quàm Theologico, seu doctrinali: necnon defendimus, omnes, & singulas rationes, quibus SCOTUS prædictas Conclusiones probat, & rationes, quibus per quatuor Sententiarum Libros in trino Scripto Placita, & probationes aliorum Doctorum impugnat, efficaces esse, & legitimè probare. Tùm: defendimus omnes Maximas, & Problemata, quæ SCOTUS per quatuor sententiarum Libros Oxonienses, Parisienses, & Quodlibeta dispergit subtilitate mira; asserimusque in Scriptis tanti Doctoris nullam reperiri contradictionem, aut inconsequentiam. Tum: defendimus omnes Conclusiones, Rationes, Maximas, & Problemata, ex quibus adæquatè coalescit universa SCOTI Philosophia, in qua sequentes continentur Tractatus: Grammatica Speculativa: Quæstiones in universam Logicam: Quæstiones super Libros de Anima: Expositio in duodecim Libros Metaphysicæ Aristotelicæ: Conclusiones Metaphysicales: Quæstiones subtilissimæ super Libros Metaphysicæ Aristotelis: Tractatus de Rerum Principio: Tractatus de Primo Principio: Theoremata*

*mata viginti tria* : *Collationes Parisienses* : *Tractatus de cognitione Dei* : *Quæstiones Miscellaneæ de formalitatibus.*

Nec pœnitet, BEATISSIME PATER, de Doctore nostro MARIANO ita protulisse, cujus merita, nec exæquant ista, nec ampliora valent exæquare. Sugillatur â nonnullis, & vellicatur, propterea quòd abstrusior plerisque videatur, captuque difficilior. Ego tamen scire ab istis vellem, quicumque illi sint, an sibi blandiantur de assecuta semper Angelici Doctoris mente, an aliorum identidem Doctorum mentem, sensumque assequantur? Dicant unde unusquisque incipiat, quò, & quà tendat? Puteus altus est uterque. Ego de me fatebor, in hosce quatuor viventium aquarum Puteos, bolidem injeci, semel, & iterum; ita unumquemque profundissimum probavi; ita D. THOMAM, ita SCOTUM; altissimum quemque deprehendi, ut admirans obstupescam. SCOTUM ergo reconditum esse, abstrusum, sensuque profundissimum, ultrò fatemur. At isti id sibi vellicatores, non SCOTO vitio vertant, quòd ab ipsis non capiatur. An propterea Sol de fulgoribus insitis remisisse quidquam dicendus erit, quòd acies intuentis oculi palpitat, & caligat? Hærens Cardanus addubitat; quis su-

blimioris ingenii, acutiorisque, an Aristoteles, an Euclides, an verò SCOTUS? *JOANNES SCOTUS*, ait Franciscus Picus Mirandulanus, *ab ejus sectatoribus plurimùm extollitur, & rectè, cùm Homo vegeti ingenii fuerit, & perspicacis.* Eòdem recidit ex eadem amplissima Mirandulana Domo, Joannes Picus: *Est in JOANNE SCOTO*, ait, *vegetum quoddam, atque discussum.* Caractheristicè quidem Princeps uterque clarissimus. Ea enim est SCOTI ingenii vivida vis, & virtus; ea mentis acies acerrima, ut sub interiora velaminis irrumpens, gestiat scrutari quadamtenus, etiam profunda Dei. *Mysteria fidei ita scivit, ut penè non crederet*, ait Petrus de Labbè è Clarissima Societate JESU. Hinc Hæreticis formidabilis, infensissimusque, vocitatur *Papicolarum Hercules.* Accedite, Hæretici, impotentis rabiei æstu perciti: Papicolarum Herculi clavum conaminor extorquere, si audetis; Spiritum in eo pertimescite Augustini Redivivum.

Sanè Illustrissimus Jacobus Benignus Bossuettus, Sidus Ecclesiæ Gallicanæ Splendidum, Meldensis Episcopus, Protestantium novatorum Terror, ac Malleus: (Legite, miserrimi Protestantes, historiam variationum vestrarum, legite animadversiones in amentissimum

minis-

miniſtellum Jurieu , Scipionem pariter , & opprobrium litis veſtræ, millies damnatæ, millies conquaſſatæ ) Is , inquam , Infulatus Illuſtriſsimus , in pretioſo libello de *nova quæſtione*, affirmat, *SCOTUM* , *ejus* , *quæ in Scholis traditur diſciplinæ* , *Fontem quodammodo eſſe videri* ; cujus vel unius Viri ſuffragium pro millibus eſto. Ego verò, jam quid prædicem immaculatæ Doctrinæ, ac Pietatis acervos ab SCOTO illatos in Eccleſiæ Theſauros , & ab Scotiſtis ? Quot erudiverit in Aulis ſuis Viros Sanctitate, ac Doctrina clariſsimos, ſolus novit , qui numerat multitudinem ſtellarum , & omnibus eis nomina vocat. Quot in diptycis Sanctorum relatos , & propediem referendos , Martyres, Confeſſores , ac ſuper candore nivium dealbatas Virgines ? Quos Eccleſiæ Dei Pontifices Summos ? Eminentiſsimos Purpuratos, quot, & quantos ? Quos Infulatos Illuſtriſsimos ? Hæreticæ pravitatis Quæſitores Zelantiſsimos ? Doctoralibus Infulis inſignitos ſine numero ? Quò feſſum rapitis Angeli veloces turmatim volantes, tamquàm nubes imbriferæ, ad gentes convulſas , ac dilaceratas, ad Populos terribiles, ultra quos non eſt alius, Imperium Crucis Chriſti , extra anni Soliſque vias prolaturi ? Et hæc tanta SCOTUS pauperculus , Doctor nudipes,

ado-

adolescentulus, & multis contemptibilis valde! O Paupertas! Sed est merces operi tuo. In die illa dabit tibi Dominus (*) *Coronam pro cinere, Oleum gaudii pro Luctu, Pallium Laudis pro spiritu mœroris.*

Erigat ex orco jam caput insanum, Jovius mendacissimus, ac venalissimus, qui post vicessies denos annos, solus immaculati Doctoris Catastrophen mortalibus inauditam prior omnium didicit â Patre mendacii. Erubescant atrocissimi flagitii Proclamatores indignissimi & asseclæ, & manum ori imponant. (*) *Ego verò neminem nomino, quare irasci mihi nemo poterit, nisi qui antè, de se voluerit confiteri.* O SANTISSIME BENEDICTE! Obstrue os loquentium iniqua: Doctoris Sanctissimi instituens Apotheosin; & omnis iniquitas opilabit os suum. Id ipsum de Sanctissimi Nominis JESU Bajulo Bernardino nostro Senensi, pari cum Doctore nostro causa de fama periclitante, fecere Decessores tui. Tu quòque fac simile de Bajulo MARIANI Candoris, quem si SCOTUS non asseruisset, â negotio isto perambulante in tenebris tutus existeret. Ecce Filius tuus Pauper, & innocentissimus, PATER BEATISSIME, Ecce Mater tua Purissima, &

Imma-

(*) Isai. 61. 3. (*) Tul. pro Leg. manil. num. 37.

Immaculata MARIA. Loquere, PATER MI, Auriga Iſrael, & contremiſcat Orbis.

Ad Doctrinam autem Caſtiſsimi Doctoris, unde digreſsi, ut revertamur; neſcio qua juvenili formidine revincti, propugnare omiſimus in proximè ſupradicto Aſſerto nonnulla ex operibus ipſius: putâ, Expoſitionem ejus, & Quæſtiones in octo Libros de Phyſico auditu, & quatuor Meteorologicorum. Vanæ iſtius formidinis ea cauſa extitit potiſsimùm, quòd ex noſtris Criticis Opera iſta SCOTO concedere ſubdubitent aliqui, ob apparentem aliqualem Doctrinæ incohærentiam; aliaſque exigui planè, vel paucisſimi momenti rationes. Rebus autem poſteà meliùs inſpectis, perpenſis præterea momentis Clariſsimorum Hibernorum P. Lucæ Vvading. ac P. Bonaventuræ Baron, amplioribuſque viribus utcumque reſumptis ab defenſione Operum D. THOMÆ, pari in nonnullis cum SCOTO hìc cauſa laborantis; etiam Opera iſta cum cæteris SCOTI jam ſuprà recenſitis Operibus conſultò mihi defendenda coopto: in promptu habens, volente Deo Optimo Maximo, â ſimilibus argutiarum implicamentis diſcutere me, qua facilitate potui furfuris ejuſdem nonnullas Objectiones excitas contra Opera Angelici Præceptoris.

Sic

Verùm de Amplitudine Scholæ quid? Sic latè per Orbem patet Ordo Seraphicus tuus, PATER BEATISSIME, ut Ipſe totus in Ordinem Orbis videatur abiiſſe. At certè latiùs patet ampliſsima SCOTI dominatio Magiſtralis in Diſcipulos, Aſſeclaſque Doctrinæ Suæ, quorum numerus in immenſum ſuccrevit. Et hinc Diſciplinæ SCOTICÆ præſtantia, hinc Doctrinæ commendatio, hinc tanti fama Doctoris effertur. Itaque Schola ampliſsima, ac pariter Illuſtriſsima, à Magiſtro, à Diſciplina, à Diſcipulis. Nulla ab initio creaturæ orta hæreſis eſt, aut impietas, quam novus iſte Eccleſiæ Catholicæ Alcides, ſe ſolo non debellet: nec aliter ſenſerit, qui SCOTI diſciplinam perdidicerit. Ita omnia dicta vegeta ſunt, ita diſcuſſa omnia, ita omnia turgent, utì multoties ex dictis ſingulis diſſertationes ampliſsimæ, profundiſsimæque cogi poſsint. Nihil in eo feriatum, tot penè Theſibus diſtenditur, quot verbis, ſubſequens per omnia Magnum Parentem Auguſtinum. Proinde ſit



ASSER-

# ASSERTUM QUARTUM SCOTISTICUM,

## *Doctrinam* Subtilis Doctoris ( *ad ſenſum Solidiorum Scotiſtarum* ) *comprehendens univerſam.*

ETiam de SCOTO facili negotio prædicare poſſet Eccleſia, tot patraſſe miracula, quot Aſſerta conſtabilivit. Verùm quod miraculorum ſummum eſt, & caput; ipſe Totus, Miraculum prægrande eſt. Dogma SCOTI Caractheriſticum de immunitate innocentiſſimæ DEIPARÆ ab originalis peccati macula, cernuis vultibus adorat per momenta ſingula Eccleſia Dei tota. Cætera omnia in omni fermè diſciplinarum genere, ſtent aut cadant cum Scotiſtis; Iſtud autem Dogma Princeps, cum Eccleſia Catholica in æternum ſtabit. Sed & cætera ſtabunt omnia, firma, & immota; Doctor enim Immaculatus, viam Dei in veritate docet ubique; nec vel ſemel impingit, titubatve. Ergo Duce Deo Optimo Maximo, SCOTO facem præfe-

rente, ſuffragante in omnibus, & conſentiente Magno Parente Auguſtino, nullum â nobis defenſum iri errorem amodò ſpondemus, Caſtiſsimi Doctoris Subtilis Dogmata inconcuſſa, tutiſsimaque dum propugnaverimus, ad genuinam ejus mentem, nobiliorumque Scotiſtarum, tam Veterum, quàm Recentiorum, in Sacro Ordine Minorum ſenſum. Et *Primò*: Dogmata Philoſophica Ipſius, quàqua latiſsimè patent diſperſa per Opera ejus omnia ſuprà recenſita, defendenda amplectimur univerſa; ſive ad *Logicam* ea pertineant, ſive ad *Phyſicam*, ſive ad *Animaſticam*, ſive ad *Ethicam*, ſive ad *Politicam*, ſive denique ad *Metaphyſicam*. In omnibus iſtis Doctorem Subtilem abſque ullo prorſus errore, ſeu falſitate ſcripſiſſe, affirmamus. Revocanda huc, quæ manent ſuprà dicta in Aſſerto Alexandrino de laudanda Neotericorum ſolertia. *Secundò*: Venio ad Dogmata Theologica Virginei, ac Mariani Doctoris, in ſuprà nominatis Operibus ampliſsimè contenta. Omnia iſta, & ſingula, eſſe omnino veriſsima, immuniſsimaque ab omni prorſus errore, nedum Theologico, Doctrinali, ſeu Practico, ſed etiam purè ſpeculativo, enixè *aſſerimus*, ac *defendimus*; ſive pertineant ad Theologiam, quam purè *Speculativam*, ſeu *Scholaſticam* vocamus, ſive ad *Aſceticam*, ſeu *Myſticam*, ſive ad *Polemico-Controverſam*, ſive ad *Exegeticam*, ſeu *Expoſitivam* Sacræ Veteris, ac Novi Teſtamenti Paginæ, ſive ad *Ethicam Sacram*, ſeu *Theologiam Moralem*, tam pro Foro *Poli*, quàm pro Foro *Fori*, Eccleſiaſtici,

ac Civilis. Omnia in ſupradictis SCOTI Theſibus appoſitè ſibi cohærent, & optimè conſtant, nullus Paralogiſmus, Antilogium inibi nullum. Omnia denique momenta, quibus Doctor MARIANUS firmat Aſſerta ſua, cùm Philoſophica, tum Theologicà; aut aliorum Doctorum Aſſerta refellit; aut objecta ſibi enodat, & extricat; optimè, dicimus, & efficaciter firmare, refellere, atque enodare. Sicubi problematicus hæret Doctor; nos in utramque partem paramur, ad ſenſum clariorum, ac Sapientiſsimorum Scotiſtarum, putà: Joannis de Baſſolis, Joannis Canonici, Antonii Andreæ Aragonii, Franciſci Mayroni, Hugonis de Novo-Caſtro, Antonii Trombetæ, Bonetti, Syrecti, Bargii, Petri Tatareti, Philippi Fabri, Franciſci de Pitigianis Aretini, Joannis Rada, Theodori Smiſing, Angeli Vulpes â Monte-piloſo, Franciſci Lycheti, Hugonis Cavelli, Antonii Hiquæi, Modeſti Gavatii Ferrarienſis, Laurentii Brancati, Mauritii de Portu, Joannis Pontii, Bartholomæi Maſtrii, &c.



# ARTICULUS V.

## Intimam, ſolidamque Concordiam oſtendit SCOTUM inter, ac Divum THOMAM, ex Textibus utriuſque adductis, atque hinc inde collatis: amborumque Doctorum Concordiam cum Magno Parente AUGUSTINO.

VIDIMUS in duobus proximè præcedentibus Articulis, BEATISSIME PATER, & Solem geminum, & duplices ſe oſtendere Thebas. Vidimus, inquam, D. THOMAM, infixum Solis inſtar ſplendidiſsimi in Vortice ſuo, ſtipatum ſatellitibus ſuis, Thebas Ordinis Prædicatorum clariſsimas propiùs illuſtrantem; atque inde Eccleſiæ Dei toti, ſplendores ſuos longè, latèque diffundentem. Vidimus ſubinde Doctorem SUBTILEM, Solis inſtar alterius, ſtantem itidem

dem in Vortice ſuo, Minorum Stellarum Satellitio circumcinctum immenſo; ampliſsimas Orbis Seraphici Thebas colluſtrantem; unde radios ſuos quaquaverſus ejaculatur. Sic ergo invicem Doctorem utrumque conferimus, Solem geminum: uterque enim Sol, Vas admirabile, Opus excelſi. Quin etiam duplices Thebas ſic ſibi conferimus, Ordinem Utrumque Clariſsimum, germanumque; quos uno effudit Partu Rebecca; utraque ampliſsima Civitas literarum, nec Altera alteri cedit.

Verùm quis amplior Doctor, quærat aliquis, D. AQUINAS, an SCOTUS? Hic Frater Minor: Ille Major: nulla hìc ſimultas. *Capite nos.* Præſtat equidem Hic, præſtat & Ille, in Ordine quiſque ſuo, coædificatus in Corpus Chriſti, in quo quidem omnia membra non eundem actum habent. *Atque ut à noſtris, ad quos Philoſophia poſtremò pervenit, exordiar* (ait Laudatus Joannes Picus Mirandulanus) *Eſt in JOANNE SCOTO vegetum quoddam, atque diſcuſſum: in THOMA ſolidum, & æquabile.* Sic characteriſticè; mea ſanè ſententia, Criticus Illuſtriſsimus indigitat utrumque Doctorem. Habet itaque Divus THOMAS, primò, & characteriſticè, *ſolidum* illud, *& æquabile*, nec illa caret SCOTI ſubtilitate *vegeta*, atque diſ-

discussa. Habet & Hic, *vegetum suum, atque discussum*, primò quidem, & characteristicè; nec in Illo desideratur *solidum* illud Angelici Doctoris, & *æquabile*. Dixerim ergo, D. THOMAM ab Auditu præstare, nec tamen ea discutere negligit, quæ dicuntur, acie mentis acerrima præditus: â Visu autem SCOTUM præstare, qui suo illo aquilino intuitu, omnia pervadit, & scrutatur, arrectis quàmvis auribus, & apertis. Nunc ergo vicissim quæram & ego: Quis amplior sensus, Visus, an Auditus? Ad præscriptum Doctor uterque ministerium suum gloriosè implevit. Posuit Dominus terminos Eorum, qui â neutro potuerant præteriri. Plura post se piissimi laboris monumenta, Doctor reliquit uterque, quàm ferret ætas utrius; nisi virtute utrumque induisset ex alto, Dator ille munerum, qui *velle dat, & perficere pro bona voluntate*: unde meritò salutatur Uterque, Sapientiæ Dux, & Sapientium Emendator.

Ego Doctorem utrumque ê proximo salutavi semel, & iterum; ab utroque nedum sto, sed & firmiter stabo; quemadmodum & ab utraque Clarissima Schola. Ambarum causa, & gratia insudo; nec quidquam præterea ex hac Doctorum Conciliatione mihi pro-

pono,

pono, quàm ut firmam, ſtabilemque ſtatuam erga Doctores Sanctiſsimos utriuſque Scholæ inter eorum Aſſeclas benevolentiam. Nihil in D. THOMA Scotiſtam, nihil in SCOTO Thomiſtam vellem lateret. Huc itaque collimat totius laboris noſtri Scopus; hic & Operis finis eſt; & Operantis; nimirum, ut approximatis quàm intimè ſenſis utriuſque Doctoris, non quidem arbitrariè, non captiosè, non precariò; ſed conceptiſsimis verbis, Sententiiſque adductis, collatis, quaquè fieri potuerit ſoliditate diſcuſsis, ceſſent in poſterum contentiones illæ, ac lites, quibus Navis utraque non ſemel periclitabatur conteri.

(*) *Nè Pueri, nè tanta animis aſſueſcite Bella;*
*Neu Patriæ validas in viſcera vertite vires.*

Hoc velit Eccleſia Catholica. Hoc velint Ordinis utriuſque Fundatores Sanctiſsimi, DOMINICUS, ac FRANCISCUS: hoc ipſum Clariſsimi Doctores, THOMAS, & SCOTUS, *quorum intuentes* (*) *exitum converſationis*, Filii, Diſcipulique, *imitamini fidem, æmulamini Chariſmata meliora*, humilitatem, modeſtiam, pacem, atque in amore fraternitatis Charitatem; quæ plenitudo Legis eſt. (*) *Si invicem mor-*

(*) Virg. Æn.6. (*) Heb. 13. 7. (*) Galat. 5. 15.

*mordetis, & comeditis; videte nè ab invicem consumamini.*

*Hoc Itachus velit, & magno mercentur Atridæ.*

De cætero, PATER BEATISSIME, tantum abest, ut hinc velitationes Scholæ, cujus libertati apertè faves, consopire cupiam, aut velim; ut ex hac potiùs Conciliatione, novas prævideam exorituras: dum Thomista contenderit, SCOTUM â se omnino stare, & vicissim Scotista, â suis stare D. THOMAM. Sanè jam pridem ante me, idipsum perficere conati sunt ex nostris Cardinalis Sarnanus, ac Pater Baudunius Capuccinus; qui tamen in plerisque arbitrariè procedunt, atque in nonnullis deficiunt, ac succumbunt. Plùs arrideret intentum Decessoris tui Sixti IV. si tamen absolvisset, de quo subdubito; qui dum ageret in Minoribus, Opus aggressus est arduum, (Teste Vvadingo de Scriptoribus Ordinis) quo contendebat ostendere, D. THOMAM, ac SCOTUM convenire Sententiis, etsi verbis differant. Hoc ipsum meditamur & nos, Deoque volente absolvemus, speciali volumine desuper edendo. Res est profectò non adeò facilis, Opera universa utriusque Doctoris perlegendo conferre, relegere collata, omnia hinc inde perpendendo

discu-

diſcutere, atque uno veluti intuitu præ oculis habere; ſic faciliùs, ni multum fallor, mens utriuſque, ſenſuſque capeſſendus eſt; quàm ſi Commentatorum, ac Sectatorum utcumque ſagacium, & illuſtrium ſententiis quis identidem ſubſiſtere velit. Ego id mihi priùs faciendum judicavi, nec minore inſtructus ſupellectile accedere auderem, Criſin Theologicam, ac ſimul Philoſophicam inſtituturus, de Summorum Scholæ Principum Operibus. Non ergo crimini nobis â quoquam vertendum, ſive Scotiſta ille ſit, ſive Thomiſta, inter duas Acies nunc demum proſilire, ſenſumque noſtrum in medium proferre; poſteàquam utriuſque Clariſsimi Doctoris Opera, Axiomata, Problemata, Momenta, probantia, improbantia, diluentia, ſemel, & iterum propugnaverimus, ad ſenſum, hinc Scotiſtarum, atque Thomiſtarum inde. Sub umbram igitur ampliſsimam, potentiſsimamque Sanctitatis Tuæ, PATER OPTIME, confugio, libertatem iſtam appellans.

Ultrò equidem, in gratiam utriuſque Scholæ Clariſsimæ, fatebor diſsidium intercedere probabiliſsimum, SCOTUM inter, ac D. THOMAM; & quidem in plurimis, quorum recenſitio hìc nimis eſſet oneroſa. Hujus ſanè diſſentionis ea ratio potiſsima exiſtit, quam paulò ſu-




periùs

periùs attigimus; quòd nimirum nemo, quem ſciverim, utriuſque Doctoris ex æquo contulerit Opera, libraveritque in pondere debito, ac ſtatera; quatenus amborum ſcopum, methodum, placita, ac momenta, omnia ſimul adducta ante oculos, collata, diſcuſſa, ac perſpecta haberet. Audeo inſuper addere; nec Scotum Ipſum Opera Omnia Angelici Doctoris ita præ manibus habuiſſe, eo quo nunc ordine circunferuntur, caſtigata, correcta, atque in unum lucidiſsimum, completiſsimum, ordinatiſsimumque Syſtema coacta. Notiſsima ſanè res eſt, quanta Librorum caritate, ac penuria laboraverint Patres noſtri, ante Artis Typographicæ adinventionem; unde non mirum, ſi habita ratione paupertatis Evangelicæ, cujus extitit obſervantiſsimus Doctor MARIANUS, præclara nonnulla Angelici Doctoris Opuſcula non vidiſſet, quæ temporibus illis ipſum latuerant Clariſsimum Ordinem Prædicatorum. Vidiſſet SCOTUS Summam utramque D. THOMÆ, vidiſſet & aliud unum, alterumve Opuſculum. At planè Principia, ac Momenta Thomiſtica latiùs adhuc patent: Quiquè aliter ſenſerit, profectò enormiter aberrat.

Nolim ergo mihi ſuccenſeant, ſi poſtquàm additiſsima quæque exploraverim Doc-

toris

toris utriusque Clarissimi, novam eruderare semitam incepero, qua citiùs, planiùsque pateat pacificus aditus in penitissimos amborum Montium recessus. Summo mihi sanè piaculo vertendum esset, Montes hosce coagulatos totiès lustravisse; si domum vacuus remearem, nihil referens pretio dignum, aut scitu; eo vel maximè, cùm inde Pueruli Tyrones, qui ultra crepidinem non audent, nec juga superare valent, dietim onerati revertuntur Thesauro desiderabili super aurum, & lapidem pretiosum multum. Quo autem tutiore gressu incedam, ac firmiore, Magnum Parentem AUGUSTINUM nullibi dimittam; quem nec dimittere ausi sunt Duces mei Clarissimi, ac Præceptores, THOMAS, & SCOTUS. Proinde ostenso priùs inter Hosce, quod interest, indivulso fœdere, ac in perpetuum duraturo firmissimæ pacis vinculo; ostendam & amborum cum eodem Sanctissimo Parente AUGUSTINO imperturbabilem omnino Concordiam. Sit itaque





ASSER-

# ASSERTUM QUINTUM CONCORDIARUM,

## *Universalem propugnans mentis Unitatem* Scotum *inter, ac* D. Thomam.

ITA in plerisque Scotistæ dissentiunt à Thomistis, ut quàqua patent amplissima Philosophiæ sæcularis camporum patentium æquora, ac maris Magni Sacræ Theologiæ immensa spatia; ubique penè, ac semper velitari non desinant, ac præliari. Terra, marique bella, horrida bella. Verùm inter Duces, nec geritur bellum, neque jurgium, neque contentio interest, sed Pax longissima, & secura Quies; nolentes, mea sententia, vocari plures Magistri, scientes profectò, quoniam unus est Magister Eorum, & omnium Christus JESUS Princeps pacis. Nos proinde, pacis Principi, pacificisque Ducibus sub Vexillis ejus emeritis, obsequium præstaturi, *affirmamus*, ac *defendimus*: Doctorem Subtilem in nullo prorsus Doct. Angelico contrariari, in Philosophicis, aut in Theologicis. Ac *primò*, in Dogmatibus Philosophicis: per omnia sibi consentiunt, in nullo dissentientes.

tes, SCOTUS, ac D. AQUINAS; ſive agant in Logicis, ſive in Libris Phyſicorum, ſive ſuper Libros de Anima, ſive in Ethicis, Politicis, ſive denique in Metaphyſicis. Proferentur in medium, & conferentur Textus, Sententiæ, Verbaque amborum, atque iis in iiſdemmet inſitam patefaciemus Concordiam; aut nullam ineſſe diſcordiam oſtendemus, quæ ad ſummum planè verbalis non ſit â quoquam agnoſcenda. *Secundò*: in Theologicis. Hîc vellem obaudirentur potiùs exhortationes Ducum, quàm ululatus Exercitus. In hiſce enim multoties, & plerùmque auditur, confuſæ ſonus Urbis, & illætabile murmur. In illis autem, ſi ê propinquo audiantur, concinnitas, lucidus Ordo, dignitas modeſtiſsima, ſplendor varius illuminans, ac lætificans attenditur. Unde *aſſerendo* dicimus: Doctorem Subtilem in nullo Placito ſuo Theologico, â D. Thoma diſſentire; *nè ibi quidem, ubi Angelico Doctori in faciem reſiſtere videtur, ac pro viribus impugnare*: ſive Diſceptatio ſit de iis, quæ ad Theologiam merè *Scholaſticam*, ſeu *Speculativam* attinent, ſive ad *Myſticam*, ſive ad *Exegeticam*, ſeu *Expoſitivam*, ſive ad *Polemicam*, ſive denique ad *Moralem*, & quidem tam pro foro interno, quàm utroque externo, *Eccleſiaſtico*, ac *Civili*. Tandem *aſſerimus*: D. THOMAM, ac SCOTUM, quemadmodum in nullo ſibi contrariantur; ita nec in minimo deſciſcere â Magno Parente Aurelio AUGUSTINO.

NOVA

# NOVA AUTHORIS PROTESTATIO, Prævia ad Defensionem Librorum Mysticæ Civitatis Dei.

N*Eminem latere arbitror studium Optimi Pontificis, Sanctissimi Patris Nostri BENEDICTI XIV. in duplici promovenda Causa, tum Beatificationis, & Canonizationis Vener. Servi Dei, Sororis MARIÆ â JESU de ACREDA, tum approbationis Operis* Mystica Civitas Dei *inscripti. Id totum nuperrimè innotuit per Apostolicas Literas, ab Eodem Sanctissimo desuper emanatas, datas Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 16. Januarii, anno proximè elapso 1748. addito Decreto S. C. habitæ coram Sanctitate Sua, de vero Authore prædicti Operis, die 5. Decembris anni 1747. Ipsum autem Decretum, de Consilio ejusdem Sacræ Congregationis, & unanimi consensu, jussu autem Sanctissimi editum, sequentis tenoris est: nempe:* Ex hactenus deductis non constare, prout oportet, in casu, & ad effectum, de quo agitur, quòd Opus inscriptum *Mystica Città de Dio*, sit Opus Ven. Servæ Dei Sororis MARIÆ â JESU de AGREDA; ex gratia tamen speciali Postulatoribus indulgeri, ut in Causa Beatificatio-

nis,

nis, & Canonizationis ejusdem, ad ulteriora procedatur, & c. *Nos propterea, Decreto prædicto Sacræ Congregationis, edito, prudentissimè quidem, jussu Sanctissimi, morem gerere minimè refragamur. Hinc subscribentes libentissimè, fatemur*, ex hactenus deductis non constare, *prout oportet, in casu, & ad effectum, de quo agitur*, quòd Opus inscriptum *Mystica Città di Dio, ut præfertur*, sit Opus Ven. Servæ Dei Sororis MARIÆ â JESU de AGREDA. *In dicendis itaque duobus sequentibus Articulis, nihil vel minimum, antedicto Decreto detractum iri protestamur. Nos enim Authoritati, & probationibus ordinis omnino inferioris innitimur, traditioni nimirum constantissimæ, tot annorum serie comprobatæ; dictis præterea, & unanimi sensu Summorum Theologorum Ordinis nostri totius, aliorumque bene multorum, quibus Theodidactæ Scriptricis, dum in humanis ageret, Sanctitas Eximia notissima fuit, uno ore conclamantium; Opus illud Mysticæ Civitatis Dei, Spiritus Sancti ductu, ac procul omni alia quacumque ope humana, propria Ipsius Sacræ Virginis manu fuisse conscriptum.*

*Porrò protestationem hanc novam, novi occasione Decreti præmittimus*, non tantùm propter iram, *ut loquitur Apostolus*, sed etiam propter

cons-

conſcientiam. *Etenim Sanctionibus Apoſtolicis, quarum nulla prodit, niſi poſt ſummè maturam, prudentiſsimamque judicii diſcuſsionem,* repugnare, quaſi peccatum ariolandi eſt,& quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere. (*) *Hinc monitum te vellem, Lector, quicumque demum ſis, quamtùmvis ſapiens, & callidus tibi eſſe videaris; nè audeas contra Petri Cathedram erigere criſtas; aut extento collo currere contrà; niſi ſedere prætuleris in Cathedra peſtilentiæ. Prophanus es,* ait D. Hieronymus, *ſi id feceris; nam qui cum Petro, ac Petri Succeſſore non colligit, ſcito, quoniam certiſsimè diſpergit. Audiant iſta veriſsima omnes, cujuſcumque ſtatus ſint, aut conditionis. Quòd ſi præeminent, præcedant plebem exemplo obedientiæ promptiſsimæ; Eique, qui primus eſt in Apoſtolica Dignitate, ac dominica Confeſsione, pareant illico, & incunctanter. Fides tua deficere poteſt; fides Petri deficere non poteſt: non enim pro te, ſed pro Petro rogavit Dominus, ut non deficiat fides ejus; Eique aliquando converſo, munus fratrum ſuorum confirmandi commiſit. Hanc doctrinam de Cœlo allatam, accepimus:* (*) Quòd ſi Angelus de Cœlo contrà prædicaverit, Anathema ſit.

(*) Reg.15. 23. (*) Gal.18.4.

ARTI-

# ARTICULUS VI.

## Myſtica Civitas Dei, Hiſtoria Divina de Cœlo delapſa, in ſubſidium Eccleſiæ Militantis, ac lætificans pariter Solatium; Acta Sacratiſsimæ Deiparæ Virginis MARIÆ Reginæ Noſtræ, omniumque Creaturarum adumbrans; â Candidiſsima, ac Theodidacta Virgine Sorore MARIA â JESU de AGREDA, Virginis Deiparæ Apocriſaria ſecretiſsima, ſtylo fideli conſcripta, & probatur, & aſſeritur, & vindicatur in omnibus.

HACTENUS, BEATISSIME PATER, de Scholæ Clariſsimis Anteſignanis, ALEXANDRO, THOMA, BONAVENTURA, ac SCOTO, quorum Opera, Doctri-

nam, Principia, breviter adumbravimus, ac Momenta. De Candidæ nunc, ac Theodidactæ Virginis MARIÆ â JESU de AGREDA Operibus, ſub titulo *Myſticæ Civitatis Dei*, diſſerendum aliquantiſper. Sanè Quatuor illi Doctores Summi, proximè laudati, quantùmvis in Schola Orationis eruditi, utut â Domino fuerint edocti; nemo tamen eorum extitit, qui Aulas humanarum diſciplinarum attingens, â Magiſtro aliqua non didicerit humano. Res autem hìc longè aliter, & omnino ſe habet. Quæritur enim, quomodo HÆC literas ſcit, cùm non didicerit? Quis Virgini ſimpliciſsimæ Clavem ſcientiæ tradidit? Quis linguam conceſsit eruditam? Is Ipſe nimirum, nec alius ab Eo, cujus cum ſimplicibus ſermocinatio: Qui toties aperuit os mutum, & linguas Infantium fecit diſertas. Exclamem ergo hìc liceat, cum Magno Papa Leone: (*) *O quàm velox eſt Sermo Sapientiæ! Et ubi Deus Magiſter eſt, quàm citò diſcitur, quod docetur! Non eſt adhibita interpretatio ad audiendum, non conſuetudo ad uſum, non tempus ad ſtudium: ſed ſpirante ubi voluit Spiritu Veritatis, propriæ ſingulorum* Theologorum *voces, factæ ſunt in* hujus Virginis *ore communes.*

Cæteri

(*) Ser. 1. de Pent. cap. 1.

Cæteri ergo Doctores laboraverunt, copiosè quidem, dilucidè, gloriosè: Hanc in labores eorum introiſſe dicerem, niſi immiſſa potiùs, ac in partem laboris adſumpta videretur. Nolite itaque loqui ſublimia gloriantes Critici; Deus Scientiarum loquutus eſt ad Cor Sponſæ ſuæ ductæ in deſertum; affectum inflammavit; illuminavit intellectum; ut enarraret mirabilia dilectiſsimæ MATRIS Suæ, ac Puriſsimæ; quam ſibi elegit ante Mundi conſtitutionem, in ſplendoribus Sanctorum, & ante Luciferum; ut eſſet Sancta, Impolluta, Innocens, Immaculata, ſegregata â Peccatoribus, & excelſior Cœlis facta. Hæc autem quarè fecerit, quis veſtrûm audeat Eum interrogare? Non ſint oculi veſtri nequam, quia Ille Bonus eſt. Ubi ſapiens inter vos; qui divinæ huic Hiſtoriæ detrahere audeat? Ubi ſcriba? Nonnè ſtulta Mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes? Audite, & contremiſcite ad verba Pauli: *Quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus: & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus.* An non perdidit ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobavit, cùm ad ſimplicem Piſcatorem, & ignarum, avarum adjunxit Publicanum; ut Ethnicis ſimul, ac Publicanis, juſtis pariter, & injuſtis, ſapien-

 tibus,

tibus, & insipientibus, novitatem patefaceret omnium novitatum maximam, Filii sui, inquam, in Carne dispensationem?

Sanè præter ea, quæ scripta sunt, & alia plurima patravit Dominus JESUS, quæ scripta si fuissent, dilectus arbitratur Evangelista Discipulus Mundum totum ad capiendum Libros non suffecisse. Et meritò quidem id ratus est Castissimus Joannes. Quis enim dicta Domini JESU, quis facta, quis cogitata, ab instanti Conceptionis ejus, in Aula Uteri Virginalis, scribendo edisserat? Tota simul, & Hominum, & Angelorum Collectio, ista ad scribenda non sufficeret; & scripta Mundus quomodo contineret, aut caperet? Agnoscite modò Matris Filii Dei Vivi dignitatem, quadamtenus infinitam; si tamen perpenditis, ô miseri Criticelli, Ipsius Filii dignitatem, non propè infinitam, sed infinitissimam. In Virgine fatetur Hieronymus, fatentur & Patres universi, fatetur Schola, Catholica fatetur Ecclesia, omnem sese infudisse plenitudinem gratiæ, quæ in Christo est, quamquàm aliter. Id ipsum & vos fateminor, agnoscentes Hevam novam Matrem Vitæ, Novi Adami de Cœlo Cœlestis Genitricem, Gerulam, Nutricem, Altricem, Adjutorium factum Filio Dei simile sibi, Me-

dia-

diatricem potentiſsimam, generis noſtri afflicti Corredemptricem.

Itaque nolite mirari, ſi plurima Beatiſsimæ Genitricis Sacramenta latuerint, & facta, pro Filii ſui beneplacito, ſtatuto tempore, & congruo, ad Eccleſiæ ſolatium revelanda. Quòd ſi placuit, noviſsimè diebus iſtis, paucula hæc per Ancillam ſuam, Eccleſiæ Sponſæ ſuæ revelare; ſcitote, quoniam plura reſtant ineffabilia, de Glorioſa Deipara, in diem Æternitatis, amoto velamine, revelanda. (*) Si aperto Templo Dei in Cœlo, & viſa (de foris tantùm, & extrinſecùs) Arca Teſtamenti ejus in Templo ejus, facta ſunt fulgura, & voces, & terræmotus, & grandò magna; dicite, filii hominum imbecilli, quæ fierent, ſi Arca Deifera, omnibus lapidibus pretioſiſsimis Chariſmatum Spiritus Sancti, auro mundiſsimo inſerta, aperta inſpiceretur?

Ergo quandoquidem conſiſtimus ad Portas Myſticæ Civitatis Dei Noſtri, Quam, per ſimpliciſsimæ Virginis miniſterium, Ipſe fundavit Altiſsimus; ſolvite, Critici imbelles, & carnales, calceamenta terrenarum affectionum de pedibus veſtris; terra enim HÆC, in qua ſtatis, terra Sancta eſt, nec unquam patuit maledicto. Accedite cauti, ac reverentes, ad videndam

(*) Apoc. 11. 19.

visionem Hanc magnam ; prosternite vos, & adorate : Rubus ardet, neque consumitur. Civitas Hæc fidelis neque lustrari veretur, neque inspici ; nihil enim coinquinatum ingressum est in Ea ; foris Canes, & venefici ; nec expugnari timet ; Deus enim in medio ejus, non commovebitur. Quis vestrûm cognovit sensum Domini de Sacratissima Matre sua ? Aut quis ex vobis Consiliarius Ejus fuit, ut Eam tantumdem, nec amplius ditare debuisset ?

Equidem in Libris *Mysticæ Civitatis Dei*, Acta Vitæ Sacratissimæ Deiparæ evolventibus, nil novum reperire est, nisi novum reputaverit quispiam, antiqua dilucidè, ac noviter evoluta, & explicata videre. Id agnovere jampridem, & quotidie agnoscunt, Critici sinceri, ac præclari, omnis Ordinis, Viri doctissimi, Regulares, ac Sæculares, pietate præditi solida, ac virili ; qui tamen, non inter pocula, & fercula ; non arrogantiæ spiritu tumido, & inflato ; sed in spiritu humilitatis, & in animo contrito legerunt. Ego meritò plurimùm suspicio, veneror, ac dilaudo Theologos eos, quotoscunque, qui, sive id jussi fecerunt, ut Theologi Sacræ Congregationis, sive sponte sua, zelo veritatis adducti, Crisin de Libris istis palàm instituerunt, nervosè, ac viriliter,

sobriè

ſobriè tamen, ſincerè, ac modeſtè: Hoc enim â Theologis expetendum, juxta præceptum Apoſtoli: *Omnia probate; quod bonum eſt, tenete*: nec Libri *Myſticæ Civitatis Dei*, ſic diſcuti detrectant, & examinari. Verùm quis probare poſsit petulantiam ſciolorum quorundam, qui zelum obtendentes ſinè ſcientia, invidiam totiès Operibus iſtis paraverunt, veritate turpiſsimè relicta? In omnibus iſtis deprehendimus vel craſsiſsimam rei Theologicæ imperitiam; vel acerbitatem animi, ac diabolicæ invidiæ livorem; vel tumorem ſtolidæ arrogantiæ; vel denique, quod peſsimum, ac ſtigma reprobationis, pravum in ſuaviſsimam Deiparam affectum. Væ animabus eorum, quoniam invenient eos mala, niſi reſipiſcant.

Sanè nil fermè pro, aut contra Libros *Myſticæ Civitatis Dei* ſcriptum eſt, â prima eorum editione uſque in præſens, quod nos lateat: objectiones tantùm excipio Theologorum Sacræ Congregationis, quas non vidi. Nec quod plùs ſtomachari faciat offendimus, ſicut tumultuariæ factionis Pariſienſis attentatum; quia omnino illegale, præceps, temerarium, improbum, Dignitati Primæ Sedis ſacrilegè injurium, Schiſmaticum proinde, ac hæreticale. Proceſſum vidimus; qui totus Spiritu ſchiſ-

ſchiſmatico confectus, ac pertinacia hæreticali infectus apparet; ut latè, ac ſolidè probant Illuſtriſsimus Dominus de Leyba, & ex noſtris, Reverendiſsimus Feijoo, in Catholico Præſidio *Myſticæ Civitatis Dei*. Verùm cenſuram hanc dimittamus; quæ millies refutata eſt, ac damnata â Summis hìc in Hiſpania Magiſtris. Offendit etiam hìc Dominus *Amort*, vir alioqui de Republica literaria bene meritus. Nec propterea offendit, quòd criſin inſtituerit, id enim expetimus, tantum abeſt ut refugere velimus; ſed quòd oſcitanter inſtituerit, & inſincerè, & contra regulas critices traditas â ſemetipſo. Quòd ſi ſtylum pretio locavit dicens: *Quid mihi vultis dare, & Ego eam vobis tradam?* (Id enim non pauci perhibent) delatura hæc Civitatis, abominabilis eſt coram Deo, & hominibus, quantumvis in incaſſum ceciderit. Sed plenè detecta eſt hæc ejus oſcitantia, vel mala fides, â R. P. Gonzalez Matthæo, qui menſuram ei plenam, ac ſupereffluentem in ſinum reddidit: & hunc itaque dimittamus.

Impegit pariter larvatus *Lampridius*; non quòd quidquam directè ſcripſerit, quod ſciam, contra Venerabilis Virginis AGREDENSIS Libros; ſed quòd auſu planè temerario, impio,

ac ſacrilego in MATREM DOMINI, Puriſsimam, & Immaculatam, impetiverit; & quidem plùs ſatìs apertè (en hominis incogitantis *audaciam*) ſubdolè, vafrè, & captiosè. Domine *Lampridi*, falcem tuam injuſſus, mala quidem avi, in meſſem injeciſti alienam. *Nihil eſt opertum, quod non revelabitur, & occultum, quod non ſcietur.* Tu in occulto hæc feciſti; ego autem palàm loquor Mundo, & in conſpectu Solis hujus, nec quidquam loquar in occulto. Vidi millies damnabilem Libellum tuum de *ſuperſtitione vitanda*, qui ignibus, & flammis comburi meretur. Neſcis profectò quid ſuperſtitionem interſit, ac Religionem: contremiſce ad verba Iſaiæ: *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malùm.* Noverint propterea univerſi, quoniam Theologus non es, nec fuiſti, nec eris. Bene audis, ut perhibent, apud heterodoxos Anglos, ac Batavos, *qui, à veritate quidem auditum avertunt, ad fabulas autem convertuntur*; ſed mallem bene audires apud Sedem Apoſtolicam, quæ cum Petri primatu depoſitum cuſtodit immaculatæ doctrinæ, & veritatis, quæ juſtificat impios. Sta quæſo in gradu tuo, & conticeſce. Opus aſſumpſiſti, illud perfice. Tractent fabrilia Fabri. Hanc itaque Sacræ Theologiæ Provinciam, in qua peregrinus es,

& advena, Theologis dimitte. *Virga in dorſo ejus, qui indiget ſapientia.* Peccatum agnoſce territorii violati. Reſipiſce. Age pœnitentiam; percute, ac repercute fœmora tua. Sed quoniam jam amplas dediſti pœnas anno ſuperiore 1747. Ven. Viro Fratri Dominico à Sancto Petro de Alcantara, Emerito Sacræ Theologiæ Lectori, Provinciæ Reformatæ S.Gabrielis, Ordinis noſtri, qui Libellum tuum infamem funditùs evertit, ac refutavit; Ego ad ſcopum meum regrediens, te dimitto: cave autem, nè iterum de hac re audeas muſsitare. Pro aſſerenda gloria Immunitatis dilectiſsimæ Matris ſuæ à ſpurcitia originalis peccati, filii hominum ſi obmuteſcerent, ſpiraculum vitæ, loquelam, & intellectum lapidibus infunderet iſtis Omnipotentiſsimus Filius ejus. Sed ſurrexerunt Filii ejus, & Beatiſsimam prædicaverunt; Beatam Eam dicunt omnes generationes: etiam Mahometani, naturali lumine ducti, Immaculatam efferunt; quod nec ipſimet Pſeudoprophetæ ſuo concedunt.

Hiſtoriam porrò quod attinet *Myſticæ Civitatis Dei*; pro ejus fide, ac veritate, ſteterunt in confractione, præter Theologos Ordinis Seraphici, totius Orbis Chriſtiani Viri doctiſsimi, pientiſsimique. Probavere Univerſitates ampliſ-

ſimæ,

ſimæ, ac florentiſsimæ, Salmantina, Complutenſis, Toloſana, Lovanienſis, ac Perpiniana. Probavere, ex Ordinibus Monachalibus, clariſſimi inter alumnos Mag. P. Baſilii Doctores. Filii pariter Sanctiſsimi Protectoris noſtri in Cœleſtibus, Maximi Doctoris D. Hieronymi. Canonici Regulares Magni Parentis Auguſtini. Benedictini clariſsimi probavere plurimi, ac Ciſtercienſes. Probant præterea Præmoſtratenſes. Probant, dum aſsiduè, ac jugiter legunt, ac meditantur, Sanctiſsimi Aſcetæ Carthuſienſes. De Ordinibus autem Mendicantibus quid? Omnes, & ſinguli Opus ſuum in propugnanda *Myſtica Civitate Dei* egregiè contulere. Dominicani plures, iique Viri doctiſsimi: Auguſtiniani Eremitæ Calceati, ac Recollecti: Carmelitæ Obſervantes, ac Reformati: Captivorum Redemptores Trinitarii, ac Mercenarii, Calceati, & Excalceati: ex Ordine Minimorum Sancti Franciſci de Paula Theologi Summi: Jeſuitæ doctiſsimi longo ordine: Clerici Regulares, ac Sæculares: quos omnes nominatim adductos, latè proſequitur, & honorificè Ven. P. Fr. Paulus de Ezija Capuccinus, in egregio Volumine ſuo, titulo, *Inexpugnabilis Muri Myſticæ Civitatis Dei*, inſcripto. Hos inter, nedum Panegyriſtæ extitere eximii, ſed & Apologiſtæ acerrimi.

rimi. Teſtis Eminentiſsimus Benedictinus Cardinalis de Aguirre, cujus tamen Apologiam non vidi. Teſtes bini Carmelitæ doctiſsimi, Lumbier, & Garcia de Caſtilla. Teſtis, & Suaviſsimæ Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum alumnus, doctiſsimus P. Cabero. Inſuper & longo 14. annorum ſpatio diſcuſſere, & probavere Theologi Supremæ, ac Generalis Inquiſitionis Hiſpanæ, omnes Viri integerrimæ fidei, ac doctiſsimi.

Plurimus eſſem in recenſendo Infulatos Illuſtriſsimos, pietate eximia, ac doctrina præclaros, qui, ſive ex ſacro ſuggeſtu, ſive in ſcriptis ſuis, hujus Theodidactæ Virginis doctrinam fidelibus Populis, ſapientibus, & inſipientibus, tradere non dubitaverunt. Teſtis ille nobilis, ac ſtrenuus Evangelii Præco, Illuſtriſsimus Dominus Barcia, Epiſcopus Gadicenſis. Teſtis & Illuſtriſsimus Dominus Siuri Cordubenſis Epiſcopus, in Voluminibus Egregiis. Teſtis præterea in ſermonibus ſuis omnium Maximus, Sanctiſsimus Deceſſor tuus, PATER BEATISSIME, Benedictus XIII. cujus ſanctitatis eximiæ, doctrinæ, ac virtutum laudes, ſolus exæquare poterat Stylus ille Tuus, planè Aureus, quem conflavit Ariſtoteles, Tullius expolivit.

Ego verò libenter alios prætereo Viros,

pietate, ac doctrina amplissimos; cùm S.R.E. Purpuratos Eminentissimos, tum Sanctissimos Decessores tuos, Sacræ huic Virgini piè faventes, & causæ, tum Librorum *Mysticæ Civitatis*, tum Beatificationis, & Canonizationis Ejusdem Ancillæ Dei; quò citiùs ad ea deveniam, plurima quidem, & præclara, quæ in hanc utramque Causam collata sunt, cura, studio, ac sollicitudine verè paterna Sanctitatis Tuæ, PATER OPTIME, ac SANTISSIME. Summæ enimverò ingratitudinis meritò coarguendus essem, si ista, obiter saltèm, commemorare, vel leviter attingere, prætermitterem; ea enim omnia si recenserem, huc transcribendæ forent de verbo ad verbum, ipsæ Literæ Apostolicæ Sanctitatis tuæ desuper emanatæ, ac datæ Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, die 16. Januarii, anno superiore 1748. Hæc omnia gratanter, animoque gratissimo agnoscit Ordo Minorum totus, quaquà patet; prout in annotatiunculis suis, ad earundem literarum calcem appositis, fatetur R.mus P.r N.r Fr. Raphael à Lugagnano, Generalis Ordinis Minister, ad quem pro Ordine toto directæ sunt.

Nemo profectò Sanctissimorum Decessorum tuorum Pontificum, quantùmvis benè affec-

affectus in utramque Causam hanc, tantundem in toto Vitæ suæ decursu præstitit; quantum Ipse præstitisti, PATER BEATISSIME, in die illa una, qua eandem ê tot difficultatum implicamentis emergere jussisti; omnibus ut ê medio sublatis, deinceps expeditè decurrat, & aurâ secunda. Ipsæ legerentur vellem Literæ illæ, quæ utriusque Causæ hujus statum, ab initio usque modò, aperiunt, & prosequuntur, ita methodicè, ordinatè, copiosè, explicatè, ac dilucidè, ut ultra nil absolutius, adeòque ad Regulas exactum, desiderari possit. Verùm istis ego quid immoror? Methodus ista nova non est, quæ cohæret, & ubique sibi constat per universa Volumina tua, omni laude dignissima; in quibus quid cuique præstet, ubi præstantissima sunt omnia, non facilè dixerim. Testor Deum Omnipotentem; ita me censere de scriptis tuis, millies OPTIME PONTIFEX, Doctissime, Eruditissime. Sed gnarus expenderit Lector singula dicta sequentia, ex prælaudatis literis adducta §. *Pendente Causa*, in fine.

*Persuasum autem tibi* (Ministro scilicet Generali) *esse volumus, Nos, hac concessionis amplitudine, ultra servatos à Prædecessoribus nostris fines longè progressos esse, propter piam*

*affectionem, quam erga Ancillam Dei meritò fovemus, teque etiam intelligere, dum præfatum dubium de illius Virtutibus in ſpecie, non niſi poſt ejuſdem Operum approbationem abſolvi volumus, magnam à Nobis utilitatem afferri illius Cauſæ, quæ, ſcilicet, ex ipſis Operibus, ſi approbata fuerint, majorem proculdubio ſplendorem accipiet.* Ita eſt enimverò, PATER BEATISSIME, ea enim Conceſsionis amplitudine, qua nulla major eſſe poteſt, maximam Cauſæ utilitatem attuliſti; Probationes facilè deducentur, ut ſpero; unde Cauſa maximum abſdubio ſplendorem accipiet, quem tamen Sanctitati Tuæ referet acceptum. Et paulò infrà: *Hoc eodem temporis decurſu, Nos ipſi omnem diligentiam adhibere non omittemus, ad hoc ut, ſi aliquando probatum fuerit, Myſticam Civitatem Dei à Ven. MARIA à JESU verè compoſitam fuiſſe, tùm demum, vita comite* (comitetur utinam ultra dies Petrì, & longiſsimè in Ævum, PATER OPTIME) *Judicium noſtrum proferre valeamus: an Liber ipſe contineat errores contra Fidem, vel bonos mores, vel Doctrinam novam, vel peregrinam, atque à communi ſenſu Eccleſiæ, & conſuetudine alienam, juxta relatum ſuperiùs Urbani Prædeceſſoris Decretum. Quam-*

*obrem mandavimus etiam ſingulis Cardinalibus, atque Theologis peculiarem Congregationem à Nobis, ut ſuprà, deputatam conſtituentibus, ut unuſquiſque ſuam hac de re Sententiam Scripto conceptam, ſuoque ſigillo obſignatam, in manus noſtras remittant; volentes omnia hujuſmodi Judicii capita in anteceſſum per Noſmetipſos debita maturitate, unà cum Judiciis Academiarum Salmanticenſis, Complutenſis, Lovanienſis, ac Toloſanæ penſare.* Cedant omnia feliciter, Sanctitate Tua Clavum Eccleſiæ, ſoſpitate diuturna, moderante. De quatuor autem Univerſitatibus Illuſtriſsimis, merito Pietatis, ac Doctrinæ florentiſsimis, *Myſtica Civitas Dei* approbationem jampridem promerita eſt, & iterum promerebitur abſdubio ampliorem.

Sanè quæſtionem illam de authentica certitudine Authoris MYSTICÆ CIVITATIS DEI, *prout oportet, in caſu, & ad effectum, de quo agitur*, non ad Theologos, ſed ad Juriſperitos pertinet probare; unde abſtrahens, iſti nolo quæſtioni immiſceri. Ultrò autem aggredior, ac libenter, alteram eam quæſtionem, quæ ad Caput regreditur, de qualitate Doctrinæ. Hanc pro tuendo paratus ſum, ſi Cauſa tamen ita poſtulaverit, nedum prædic-

tis

tis Quatuor Illuſtriſsimis Academiis memetipſum ſiſtere, verùm & cæteris totius Orbis Chriſtiani Univerſitatibus; Doctorum omnium objectiones, reverentia omni, ut par eſt, & oportet, repetere, ac ſolutionibus ineluctabilibus enodare, ad præſcriptum Aſſerti paulò infrà ſtatuendi. Verùm id opus non fuerit. Sacram Facultatem Sorbonicam operior; Opera iſta Pariſiis in oculis omnium Doctorum Clariſsimæ ejuſdem Sacræ Facultatis defendere paratus ſum, ab omni nævo falſitatis, per ſingula inciſa, ac de verbo ad verbum. Eò ſanè libentiùs id facerem, quòd certiſsimè ſciam, Cenſuram illam famoſam, invito longè majore, juxta ac ſaniore Doctorum numero, â Janſeniana invalente factione, quæ jam extincta concidit, aut agit animam, prodiiſſe. Id ergo fecit temporum illorum calamitas, ut fieret contradictio potentior; atroci Hiſpaniam inter, Galliamque gliſcente Bello, extincto pariter Archiepiſcopo Pariſienſi, Acerrimo Janſeniſticæ factionis Hoſte.

Nec tamen bona fide feciſſe gloriari potuerat Factio cæca, proles veſana Gigantum; ſtetit enim in confractione Vir ampliſsima Doctrina, ac pietate præſtans Dominus Feurier, qui diffuſa oratione, ac terribili, tot

fulminibus, quot Sententiis, adversarios heterodoxos oppressit. Huic eidem Clarissimo Viro obsecundare non destiterunt alii ex Senioribus quadraginta numero, & ampliùs, qui illam ipsam Deputatorum Sententiam, acerrima confixerunt censura, excerptasque ê Libro Ven. Matris propositiones, Catholicas, & pias esse, ex Scriptura, Conciliis, Patribus, ac Theologis Scholasticis, Polemicis, Asceticis, demonstrarunt. Quæ cùm ita sint, sanè Doctrina *Mysticæ Civitatis*, ab omni erroris, ac periculosæ novitatis suspicione immunis esse probata est; jampridem, & multotiès ante me, â Viris doctissimis omnis Ordinis, de quorum Magisterio mihi meritò gloriandum esset.

Dicta porrò tantorum Virorum universa, paucis quidem, turgescentibus tamen verbis, circumscripsit Vir Doctissimus, R.mus P.r Fr. Petrus Martyr de Buencasa, Clarissimi Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Magister de numero, ut vocant; Nunciaturæ Hispaniæ Theologus, & Examinator Apostolicus; Regis Catholici Caroli II. Concionator; insuper & Archiepiscopatus Cæsaraugustani Examinator Synodalis: *Doctrina hujus illuminatæ Magistræ*, ait, *est utilis, cel-*

*sa,*

*sa, profunda, irreprehensibilis, solida, subtilissima, invulnerabilis, fidelibus Lumen, & Columen, altissima, inimitabilis, suavissima, & propè Divina.* Eòdem recidunt, nec subjicere piget, Verba Viri Doctissimi, ac devotissimi P. Fr. Raymundi *Lumbier*, Sacratissimæ Matris de Monte *Carmelo* Nobilis Alumni; qui in Epistola dedicatoria, præmissa tractatui suo de *Essentia*, & *Attributis*, sequens de Opere *Mysticæ Civitatis Dei* protulit judicium: *Opus sanè undequaque mirabile, omni ex parte perfectum, & ausim dicere Miraculosum, & post Sacræ Scripturæ Dignitatem inter præcipua numerandum, & speramus decernendum.*

Quæ sanè Doctrinæ commendatio, â tantis Viris prolata, & quidem ex cognitione certissima causæ, quanti facienda sit, nemo non videt. Agnovere, proculdubio, Viri doctissimi, piisimique Aureum Angelici Præceptoris Sigillum Operibus istis appensum, de quo tamen Articulo sequenti sermo iterum in specie redibit. Nil proinde nobis agendum restare videtur, nisi ut tot Virorum Illustrium vestigia repetentes, sensum nostrum in medium proferamus, eadem qua hactenus de cæteris Doctoribus proferre licuit, Scholastica methodo, ac libertate. Sit itaque

# ASSERTUM SEXTUM,

## *Librorum* Myſticæ Civitatis Dei *Doctrinam propugnat univerſam.*

TOTO rigore *Scholaſtico* defendimus, pariter & *Poſitivo*, omnes, & ſingulas Propoſitiones contentas in octo Libris MYSTICÆ CIVITATIS DEI, Acta Vitæ Sacratiſsimæ Deiparæ adumbrantibus; ſive pertineant ad *Philoſophiam*, aliaſque Scientias, ſeu Facultates *naturales*, ſive ad Sacram Theologiam, *Speculativam*, *Expoſitivam*, *Polemicam*, *Moralem*, *Aſceticam*, ſeu *Myſticam*. In hiſce Libris nullus continetur error contra Fidem, vel bonos mores, nulla doctrina nova, vel peregrina, atque â communi ſenſu Eccleſiæ, & conſuetudine aliena; ſubindeque nulla Propoſitio, quæ ulli cenſuræ Theologicæ ſit obnoxia. *Aſſerimus* itaque, Venerabilem Scriptricem in omnibus, & ſingulis veritatem eſſe aſſecutam, abſque ulla prorſus falſitate, aut errore *cujuſcumque generis*: abſque Antilogio, aut inconſequentia. Inſuper *affirmamus*, ac *defendimus*, in Libris MYSTICÆ CIVITATIS DEI nullam contineri Propoſitionem, Dignitati objecti revelati derogantem.

ARTI-

# ARTICULUS VII.

## De cohærentia, & uniformitate Doctrinæ MYSTICÆ CIVITATIS DEI, ad Sacras Scripturas, ac Traditiones Ecclesiæ; ad sensa Conciliorum, ac Sanctorum Patrum; ad alias Revelationes privatas in Ecclesia receptas; ad selectiores Doctorum Scholæ Sententias, *præcipuè* autem, ac *specialissimè* ad Dogmata Angelici Doctoris DIVI THOMÆ AQUINATIS.

QUANDOQUIDEM in proximè præcedentis Articuli Asserto, ea, quæ sentio potissima de qualitate doctrinæ MYSTICÆ CIVITATIS DEI, edixerim; mirabitur fortasse non nemo, BEATISSIME PATER,

PATER, quid causæ inducat nunc, eâdem de Re iterum repetere sermonem? Etenim si in Libris istis nullus continetur contra Fidem error; si nihil contra bonos mores; si nulla Doctrina nova, vel peregrina, atque â communi sensu Ecclesiæ, & consuetudine aliena; cohærentia ista profectò, uniformitasque, nunc versanda, consequatur necesse est. Cura proinde supervacanea videtur impendi, in Articuli hujus institutione. Verùm pace sic sentientium, ita non est. De re agitur planè gravissima, & quantùmvis amplus esse videatur præcedentis Articuli Scopus; novum hunc instituimus, nè veluti transcursu quodam *Mysticam Dei Civitatem* præstringere videamur, qua majus opus, & excellentius, in genere suo, â sæculo non est auditum, neque unquam, post Sacræ Scripturæ Volumina, in subsidium Militantis Ecclesiæ, ac solatium, in hac Valle lacrymarum accurrit.

Maluit Magnus Parens Augustinus, Eum ut reprehenderent Grammatici, quàm ut non intelligerent Populi: Malim & Ego tanto fretus exemplo, ac Patrono, me ut reprehendant Critici; quàm ut ista prætermittam. Non equidem propter Viros Theologos de novo operam navamus, hunc superaddendo Articulum; sed

alio-

aliorum consulimus imbecillitati, horum ut Operum Objecti Majestatem, Amplitudinem, ac Dignitatem, qua major sub Deo nequit intelligi, acie firmiore, utcunque intueri valeant. Eorum igitur operæ pretium erit, ista aliquantulum explicatiora videre, & ampliùs expensa.

Hujus ergo Divinæ Historiæ Subjectum *attributionis*, ut vocant, est Alma Dei Genitrix Virgo; quæ post Christum, in toto ordine gratiæ, & Gloriæ primatum tenet; cum Eodem ubique, & in omnibus connectitur, cum Novo nempe Adamo, Eva nova, Mater viventium, immo & Vitæ. Hic itaque Scopus est Operis *Mysticæ Civitatis Dei*; ubi octo Libris, principaliora, omnia potiùs dixerem, Fidei Mysteria, systematicè evolvuntur, & explicantur, latè, dilucidè, simpliciter, solidissimè, & orthodoxè. Prima narratur Ecclesiæ Catholicæ conditio, erectio, & amplificatio: Quo quid esse potest augustius, ac magnificentius? Legatur Lib. 1. cap. 9. nn. 115. 116. 117. at legatur ubique: nam ubique sibi constat. Immaculatissima traduntur morum Præcepta; plurima Sacræ Scripturæ Loca appositè ad subjectum explicantur: Evangelicæ Historiæ rationes subducuntur bene difficiles: insuper &

exiguntur ſatis implexæ temporum computationes. Tot porrò, ac tantarum occaſione rerum, ſubtiliſsimè enodat, & altiſsimè, varios omnigenæ Sacræ Theologiæ, prout res poſtulant, Articulos, *Speculativæ*, *Polemicæ*, *Expoſitivæ*, *Moralis*, *Suaſoriæ*, ac *Myſticæ*.

Ego ſanè pluries legi Opus iſtud, ac toties mecummetipſo tacitus conſideravi. Legi, inquam, non raptim, non oſcitanter, & ignaviter, ſed, ut res expoſtulat, ni multùm fallor, cura ingenti, ac diligentiſsimo ſtudio, per ſingula inciſa, ac de verbo ad verbum. Vigilias repetivi, ac protraxi; noctesque complures produxi inſomnes; cuncta, etiam aliàs diſcuſſa, revocans ad examinis diſtrictiſsimi regulas. Sacrarum Scripturarum obivi volumina. Sacros Expoſitores conſului. Conciliorum Decreta, ac Sanctorum Patrum Sententias inſpexi. Summos Eccleſiæ Doctores, etiam Myſticos, *D. Thomam*, *D. Bonaventuram*, *Alexandrum Halenſem*, *Scotum*, *Eximium D. Suarez*, alioſque non paucos præ oculis habui. Revelationes *SS. Brigittæ*, *Hildegardis*, *Mariæ Magdalenæ de Pazzis*, *Gertrudis*, *Angelæ Fulginatis*, ac *D. Thereſiæ Seraphicæ Doctricis* adivi. Objectiones omnes, tum Pariſienſes illas adeò decantatas, aliaſque nonnullas diſcuſsi. Defenſoria

dein-

deinde contuli, ac Reſponſiones. Et Hæc quidem eſt ratio critices à nobis ſuper Opera MYSTICÆ CIVITATIS DEI inſtitutæ; nam præterquamquòd cautum me reddiderat quorumdam Criticorum nimis præpora temeritas, & audacia; probè cognovi de re agi graviſsima, ac proinde paris eſſe periculi ſententiam pro Operibus iſtis, aut contra præcipitare.

Ad hæc prætereà urgebat ea, quam palàm profiteor, quamquè ſemper, & ubique terrarum profitebor, obſervantia ſingularis in doctrinam Cœleſtem, Angelicamque D. THOMÆ; cui in plurimis contrariari Sententiis Scriptricem hanc Venerabilem nonnulli prodiderunt. Vellem ſcire, quàm verſati fuerint in Angelici Doctoris Operibus, qui talia locuti ſunt. Num Operibus Opera, Sententiiſque Sententias contulere? Non enimverò: ſi enim contuliſſent, longè aliter cenſuiſſent. Quàm ergo immeritò invidiam MYSTICÆ CIVITATI DEI ex hoc capite paraverint, ac Scriptrici Angelicæ, inde vel maximè liquet, quòd neminem ê clarioribus Scholæ Thomiſticæ Aſſeclis hactenus viderim, qui id dixerit; tantùm abeſt ut affirmaverit, aut aſſeruerit. An non Thomiſta rigidus, terribilis pro MYSTICA CIVITATE DEI Defenſor, Propugnator, & Apologiſta, doctiſ-

 ſimus

ſimus Pater Cabero? Non Thomiſtæ, bini Carmelitæ doctiſsimi, Lumbier, & Caſtilla? Non Thomiſta Illuſtriſsimus Dominus de Leyba? Rigidi Thomiſtæ omnes. Thomiſtæ inſuper, & quidem Ordinis primi, & primæ claſsis, Apoſtolicus Vir Joannes â Sancto Thoma, qui Venerabilem Scriptricem doctam cœlitùs, ac ſcientia infuſa præditam agnovit; ac publicè proteſtatus eſt, ſe paratum eſſe, idipſum quovis Theologorum Congreſſu aſſerere, & propugnare.

Reverendiſsimus Pater Fr. Petrus Martyr de Buencaſa articulo ſuperiore laudatus, etiam Thomiſta fuit, quemadmodum, & Sanctiſsimus P. N. Benedictus XIII. Thomiſta inſuper, & ex eodem Clariſsimo Ordine Prædicatorum, Reverendiſsimus Pater Magiſter Fr. Joannes Delgado, Sanctæ Inquiſitionis Conſultor, & Cenſor, qui juſſu Sanctæ, ac Supremæ Inquiſitionis Hiſpanæ, ita de ſcriptis, ac de Theodidacta Scriptrice cenſuit, ut nemo alius, nè quidem ex noſtris. Nam præterquamquòd extra ſe raptus Divino quodam impetu, ſeu enthuſiaſmo, magnis affectibus ubique aſſurgens, pleniſſimo corde, ac flammato, illapſo cœlitùs igne, Venerabilem Scriptricem laudibus ſummis onerare non veretur, ab eximia ſanctitate, â

ſcien-

ſcientia cœlitùs infuſa, â ſpeciali Deiparæ magiſterio clarè cognito, inſuper & ab aliis chariſmatibus; judicium protulit de Opere ipſo, & qualitate doctrinæ, adeò amplum, ut ampliùs profectò de ipſius Angelici Præceptoris Operibus, ac doctrina proferre non valuiſſet. Nec id mirum eſſe debet: inde enim doctrinam MYSTICÆ CIVITATIS DEI, ab ipſo Deo paratam, â Deipara traditam, de Cœlo, inquam, deſcendiſſe agnovit, unde doctrinam ſuam traxiſſe probatur Doctor Ipſe Angelicus, qui quidem abſque ſcientia infuſa, tot, tanta, ac talia, quæ ſcripſit, numquàm ita ſcripſiſſet. Dicta autem clariſsimi ejus Dominicani videantur, quæſo, apud Ven. Capuccinum P. Fr. Paulum de Ezija *in Muro ſuo inexpugnabili, cap. 9. Fund. 9. n. 82. & cap. 11. Fund. 11. n. 181.*

Audeo ergo, & affirmo: neminem verè Thomiſtam, doctrinæ Librorum MYSTICÆ CIVITATIS DEI invidiam ire ſuſcitaturum. Verum autem voco Thomiſtam, quemvis in Operibus Angelici Doctoris mei, bene verſatum; cujuſmodi plurimos, innumeroſque reperire eſt Sapientiſsimos Viros, Eximioſque Theologos Clariſsimi Ordinis Prædicatorum, qui nocturna manu verſant, ac diurna, Opera tanti Doctoris: tales etiam voco ejuſdem ampliſsimæ

Scholæ ex aliis Ordinibus Asseclas omnes, sive Sæculares illi sint, sive Regulares; quorum omnium numerus succrevit, & in dies succrescit, ut æquare gestiant multitudinem Stellarum. Quæ cùm ita sint, nequeo profectò non mirari, quî invalescere potuerit rumor iste vulgaris, vel potiùs error, futilis omnino, ac sinè ratione. Nam ut Angelici Doctoris stylus brevis, grata facundia, celsa, clara, firma sententia, immò firmissima; ita & per omnia, *Mysticæ Civitatis Dei* stylus, facundia, sententia. Verùm dixerit aliquis: quorsum ista tanta? Num propterea causa cecidisse dicenda foret Opus *Mysticæ Civitatis*, quòd â D. Thomæ Placitis deflectere probaretur? Æstimet, quæso, qui ita quæsiverit, tanti Doctoris Authoritatem, Dignitatem æstimet celsissimam, ac de Ecclesia Dei tota, ingentissima promerita, & præclara; æstimet qualitatem doctrinæ. Suspiciet profectò in Angelico Doctore, Doctorem Ecclesiæ Communem, Augustinum contractum, Dilucidissimum Sacrarum Scripturarum, omnium Sanctorum Patrum, ac Philosophornm Compendium, atque in omni fermè disciplinarum genere instructissimum.

Unde quæsito isti prorsus inutili, quoniam de subjecto planè non supponente, facili nego-

tio respondemus: Caderet enim causa Opus *Mysticæ Civitatis Dei*, si Doctori contrairet Angelico. Verùm conditio ista, quæram & ego, quid ponit *in esse*? Nil planè. Ego pro veritate decerto, procul omni partium favore, aut factione. Sacrarum Oracula Scripturarum, Ecclesiarum Consensum, OEcumenicorum Decreta Conciliorum, Sanctorum Patrum Sensum, Doctores Ecclesiæ, ac Scholæ, ordine quemque suo, ac Dignitate, amplector. Ipsius Ecclesiæ Dei Vivi, quæ Firmamentum est, & Columna Veritatis, infallibilitatem cernuus adoro. Romani Pontificis non solùm Primatum, sed & ê Cathedra definientis infallibilem agnosco Sententiam, atque irreformabilem. Hæc loca nostra Theologica sunt, ad quæ, tanquam ad Lapidem Lydi, Opus *Mysticæ Civitatis Dei*, semel & iterum contulimus, eo districti examinis rigore, quo censuissem, si â quavis alia, de turba fideli, fœmina, fuisset elaboratum. Testor proinde Deum Omnipotentem, qui corda scrutatur, & renes, hæc omnia esse peracta, ea animi præparatione, ut Opera ista de *Mystica Civitate*, quantùmvis pia sint, & animæ meæ jucunda, & charissima, ultricibus flammis alacriter donarem, si quidquam in eis occurrisset, Verbo Dei scripto, vel tradito dissonum, aut

sen-

ſenſui Univerſalis Eccleſiæ, immaculatiſque morum regulis adverſum.

Verùm tantum abeſt,ut quidquam tale occurrat in Opere toto, quòd inter Immenſa Divinæ Pietatis beneficia, quibus Dominus Miſericors, & Clemens, Eccleſiam ſuam in hac lacrymarum Valle militantem amplificare in dies, & lætificare, meritis dilectiſsimæ Matris ſuæ, ſemper Immaculatæ, precibuſque, non ceſſat; hoc cenſeam eſſe temporibus iſtis præcipuum, voluiſſe nempe, tot, tamque ineffabilia Myſteria ejuſdem ſuaviſsimæ Genitricis ſuæ, quæ in Sacra Pagina plerumque enigmaticè, ſacroque velamine obducta teguntur, ita in Opere iſto propè Divino, reſerata tradere, evoluta, & explicata, ut non immeritò Viri doctiſsimi, prudentiſsimique affirmare auſint, eſſe de novo revelata. Et ſingula profectò, quæ de Glorioſa Virgine Deipara traduntur â Patribus ſparſa paſsim in Scriptis ſuis, malè ſibi cohærerent, ſi quæ de Eadem Matre Puriſsima in *Myſtica Civitate* ſyſtematicè exponuntur, in quoquam â Fide deflecterent orthodoxa.

An non ſingula iſtorum,cùm occurrunt in Sanctis Patribus, in Sacris Expoſitoribus, in Doctoribus Scholaſticis, & Aſceticis, pias illico Fidelium mentes accendi, rapi, & in aſſenſum

cogi

cogi videmus? Quid causæ est ergo, quòd ita in unum collecta Systema, ita ordinatissimè disposita, sic dilucidè explicata, sic Vitæ Sacratissimæ Matris â primo Immaculatæ Conceptionis sui instante, ad ultimum, quo in Cœlum assumpta, atque in æternum regnatura coronata est, accommodatissima perspiciuntur, quorumdam nihilominus infirmorum oculos hominum percellunt? Propterea nimirum, mea sententia, quòd radios adeò immensi splendoris non nisi refractos sustinere valet eorumdem infirmitas; ideò miseri Myopes isti impingunt in meridie, acies eorum lurida caligat in conspectu splendidissimi Solis, & succumbit; quæque sparsa non vertuntur in dubium nisi â filiis Belial, in unum coacta, & amplissimè ordinata, ac disposita, perferre non sustinent.

Sed *cogitent isti Disputatores*, ait suavissimus Deiparæ Mystes S. Ildephonsus Toletanus, *naturarum Leges, cogitent, & Divinarum rerum virtutem; quia non ex natura rerum Divinæ Leges pendent, sed ex Divinis Legibus naturæ rerum, & Leges manare probantur.* Ergo naturarum Leges, rerumque Divinarum virtutem æstimare discant. Profectò naturarum Leges quod attinet, dictum Plinii verissimum esse Physici omnes agnoscunt: (*) *Naturæ re-*

(*) Lib. 7. cap. 1.

*rum*

*rum vis*, *atque majestas*, ait, *in omnibus momentis fide caret.* Divinarum verò rerum quod attinet virtutem, hanc ubique, & semper ineffabilem esse, Theologi fatentur universi. Quis autem conclusit ostiis Mare Immensum Gratiæ, & Gloriæ Sanctissimæ Deiparæ? *Quænam obsecro pulchritudo*, quærit inflammatus, & accensus, Sanctus Thomas â Villa-nova, *quænam Virtus? Quænam Gratia? Quæ Gloria Matri Domini non congruit? Solve cogitationibus habenas, dilata intellectui fimbrias........ Quantum potes, tantum auge, quantum vales, tantum adde: Major est ista Virgo, superior est Virgo ista.*

Hæc profectò doctrina, hujus Seraphici Antistitis non est, etsi alioqui sua: eam enim traditam accepit â Magno Papa Gregorio: (*) *Mons quippe fuit Beata Virgo*, *quæ* (expendat Theologus, tacitus audiat ille Lampridius) *omnem Electæ Creaturæ altitudinem, Electionis suæ Dignitate transcendit.* Et copiosiùs adhuc D. Chrysostomus apud Metaphrasten, iisdemque fermè sententiis; quas Theologus pariter expendat, &, iterum tacens, audiat attentè mali ominis Lampridius: *Quid Matre Domini Sanctius? Non Prophetæ, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Angeli,* *non*

(*) D. Gregor. in 1. Reg. 1.

*non Throni, non Dominationes, non Seraphim, non Cherubim, non denique aliud quidpiam inter creatas res visibiles, aut invisibiles, majus, aut excellentius inveniri potest.* Et ita passim Patres omnes Latini, & Græci, qui quoties de Matre Purissima disserunt, acti videntur extra se, & vino inebriati condito, nec modum agnoscere valent, nedum observare.

Verùm nemo calumniari audeat, hæc, & similia, de Dignitate Electionis Gloriosæ Deiparæ, â Patribus per auxesin, & hyperbolicè, esse prolata. Theologi Scholastici, qui omnia discutiunt, ac rimantur, dicta Patrum incunctanter adoptant, & amplectuntur, & quidem in proprio, plano, obvioque verborum sensu. *Dicitur plena gratia* (ait (*) de B. Virgine Angelicus Doctor) *per comparationem ad ipsam; quia, scilicet, habebat gratiam sufficientem ad statum illum, ad quem erat electa â Deo, ut esset, scilicet, Mater Unigeniti ejus.* Hæc, stylo brevi, & grata facundia, est Celsa, Clara, Firma, ac Turgentissima Angelici Præceptoris Sententia; quam tamen parvulorum captui dentibus Seraphicis atterat Seraphicus Doctor. (*)

*Immensa certè fuit gratia, qua Ipsa fuit plena: immensum enim Vas non potest esse plenum,*

Q

(*) D.Thom.3.p.q.7.art.10.ad 1. (*) S.Bonav.in Specul.lec.5.

*num, nisi immensum sit istud, quo est plenum. MARIA autem Vas Immensissimum fuit, ex quo illum, qui Cœlo major est, continere potuit. Quis est Cœlo major? Certè Ille, de quo Salomon ait*: Si Cœlum, & Cœli Cœlorum Te capere non possunt, quantò magis Domus hæc, quam ædificavi? *Non utique Domus per Salomonem ædificata, sed Domus per illam significata, Illum capere potuit. Tu ergo, Immensissima MARIA, capacior es Cœlo, quia quem Cœli capere non poterant tuo gremio contulisti. Tu capacior es Mundo, quia quem totus non capit Orbis, in Tua se clausit Viscera factus Homo. Si ergo MARIA tam capacissima fuit Ventre; quanto magis Mente? Et si capacitas tam immensa fuit gratia plena, oportuit utique, quòd gratia illa, quæ tantam implevisse potuit capacitatem, esset immensa.* Hanc in Deipara gratiæ Plenitudinem, nec præterea quidquam, explicat in Libris suis Venerab. Sanctimonialis AGREDENSIS; de quibus, Adjutore Deo, parati sumus propugnare in quovis Theologorum Congressu tenoris sequentis Assertum.

Sit itaque

ASSER-

# ASSERTUM SEPTIMUM,

## *Authoritatem Extrinſecam* Doctrinæ Librorum Myſticæ Civitatis Dei *ampliùs affirmat.*

IN Articuli præcedentis Aſſerto, ex æquo comprehendimus ab Authoritate *Intrinſeca*, & *Extrinſeca*, totam MYSTICÆ CIVITATIS DEI Doctrinam. In præſenti autem præcipuè inſiſtimus Authoritati *Extrinſecæ*,ad omnem coercendam invidiam. Hoc autem Aſſertum ſub triplici capite, ſeu membro proponimus.Primò *aſſerimus*: in octo Libris MYSTICÆ CIVITATIS DEI nullam contineri Propoſitionem, quæ non ſit ſummè conſona Sacræ Scripturæ, ac Traditionibus, ac Sacrorum Canonum, Æcumenicorumque Decretis Conciliorum,ac SS.Patrum unanimi conſenſui, aliiſque privatis Revelationibus in Eccleſia receptis, ac præcipuorum Scholæ Principum communi ſententiæ. *Dicimus* ſecundò, & *ſpecialiter*: nullam in Opere toto prædicto reperiri Propoſitionem, quæ vel in minimo contraria ſit Doctori Angelico

gelico D. Thomæ; nullam, quæ Principiis inconcuſsis ejuſdem Sanctiſsimi Doctoris non cohæreat; quæquè Momentis ineluctabilibus ejuſdem Clariſsimi Aquinatis probari non poſsit, ac demonſtrari. *Dicimus* tertiò, ad frangendam audaciam, ac temeritatem *Euſebii Amort*, ejuſque ſimilium; & eâdem, qua hactenus, Libertate Scholaſtica *aſſerimus* (abſque præjudicio tamen, & ſalvis juribus Primæ Sedis, atque Eccleſiæ Catholicæ ſenſu) Theologicis innixi Principiis, regulisque â Theologis tradi ſolitis in materia *de Fide*, ac *de Revelationibus privatis*: Opus prædictum MYSTICÆ CIVITATIS DEI ope humana, aut induſtria confici non potuiſſe, nec aliter haberi, quàm *Divina Revelatione*.

HActenus, BEATISSIME PATER, perduximus hoc tenue Specimen, Sacræ ejus Scientiæ depoſitum adumbrans, qua Eccleſia Sancta Dei alitur, viget, efflorеſcit, & propugnatur, Sacræ inquam Scholaſticæ Theologiæ. Hæc eſt nobiliſſima illa Scientia ſecundùm *fidelem ſermonem*, qua Paſtores Eccleſiæ efficiuntur potentes exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt veritati, arguendo repercutere. Hæc ſublimis illa Scientia eſt, quæ immobili veritatis æternæ fundamento innixa, ex Propoſitionibus Fidei

Con-

Conclusiones suas, tum circa Deum, tum circa rem quamlibet â Deo revelatam colligit, quibus Fides vera gignitur, nutritur, defenditur, roboratur; ut *possimus comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum*. Authoritati igitur potissimùm insistimus, *in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Fidei*, persuasi, quoniam *accedentem ad Deum oportet credere*: nec humanarum rationum adminicula quærimus, nisi ut præstent Fidei supernaturali famulatum.

Neque nos carpere audeant garuli Regionum Borealium heterodoxi Novatores, Luterani, Calvinistæ, omnisque pestilentissimæ impietatis colluvies, Sociniani. *Naturæ namque ordo ita se habet*, ait Magnus Parens Augustinus in lib. de Moribus Ecclesiæ Catholicæ, cap. 2. *Ut, cùm aliquid dicimus, rationem præcedat Authoritas*: Et alibi: *Authoritati credere, magnum compendium est, & nullus labor*. Authoritati utique Dei, qui nec fallere potest, nec falli, & Ecclesiæ Catholicæ, *quæ firmamentum est, & columna veritatis, nec portæ inferi prævalebunt adversùs eam*. Et profectò ordo ille naturæ, quem notavit Augustinus, adeò conspicuus est, ut eundem factis suis probent ipsi-

ipſimet heterodoxi, etſi dictis improbent: adeò quotidie mentitur eorum iniquitas ſibi.

Proximè amplectimur Sanctorum Patrum dicta, ac Sententias, quibus, ordine cuique ſuo, primas meritò concedimus, poſt Eccleſiæ Catholicæ, & Apoſtolicæ Sedis Authoritatem: *Hæc enim niſi nos commoveret, nec ipſi crederemus Evangelio*, ut loquitur proximè laudatus Magnus Parens Auguſtinus, contra Epiſtolam Fundamenti, cap. 5. Eorum præterea Summorum Doctorum recipimus Authoritatem, qui jure optimo in Scholaſticis Aulis primatum obtinent; præcipuè autem quatuor illorum Sacræ Theologiæ Scholaſticæ Principum, Alexandri Halenſis, D. Thomæ, D. Bonaventuræ, Subtiliſque Doctoris Scoti, quorum Opera, Reſolutiones, ac Momenta, in hoc Specimine leviter adumbrata, propugnanda nobis adoptavimus, ac defendenda.

Et ſanè hos quatuor cæteris omnibus meritò præferimus, quibus cæteri omnes Scholaſtici à diebus illorum uſque in præſens, obſtricti ſunt. Ipſi enim æſtum Sacræ hujus Facultatis ſibi invicem reciprocantes hinc & inde, in cæteros omnes derivare non ceſſant: quorum adeò probata eſt in Eccleſia Dei ſcriptorum copia, ſoliditas, ordo, ſubtilitas, ac ſapien-

pien-

pientia, ut sequiores Theologi omnes nullam in Schola tota sententiam approbent, quam ab aliquo ex quatuor istis esse traditam, aut subillatam saltèm, non prætendant. Philosophiam autem sæcularem Sacræ Theologiæ administram, pedisequam, Ancillam, amplexi sumus in hoc Specimine, more Patrum, ac Majorum, caventium juxta præceptum Apost. ad Collos. 2. 8. *Nè quis Fideles decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam.* Unde nulla est sententia, aut conclusio, quæ de mente Alexandri Halensis, D. Thomæ, D. Bonaventuræ, aut Scoti defendi queat, quam ultrò defendere non promittimus; tantumdem etiam spondentes pro Opere illo mirifico, ac planè divino Mysticæ Civitatis Dei.

Sanè jampridem, & ex cognitione plenissima Causæ, aliorum tamen fretus exemplo, animo conceperam Concordiam instituere, seu Conciliationem, ut vocant, D. Subtilem Scotum inter, Angelicumque Præcept. D. Thomam. *Ego verò*, ait Eminentissimus Sarnanus, *qui probè novi illos Viros ingenii solertia præstantes, uno eodemque spiritu actos, ad ea scribenda esse aggressos, quæ eundem spectarent finem, quæque Dei Ecclesiæ plurimùm conducerent; pugnantia, nec sensisse, nec voluisse*

*luisse illos omnino mihi persuasi; eorumque suscepi refutandum errorem, qui, cùm verbis, tùm rebus, illos dissensisse affirmare ausi sunt, atque adeò audent ...... Id verò ad Christianæ Religionis pietatem plurimùm interesse arbitror, cùm homines non mediocriter offendantur, dum Eos ipsos, Scholasticæ Theologiæ Magistros, inter se concertare audiunt, quasi eorum Doctrina, non ab eo Spiritu, qui Catholicam Ecclesiam gubernat, profecta sit.*

Viderat profectò bene Eminentissimus Sarnanus: quàmvis non proinde omnia peregerit, nec peracta æquabiliter perfecerit, sed leviter, ac satìs perfunctoriè. Nec alium sibi proposuit conciliandi ordinem, quàm, ut in Libris Sententiarum, amborum Doctorum Placita conciliaret. At certè, vel sic, sat magna præstitit, qui plurimorum hac in parte prior detexit errorem; dum eam Conciliationem Viro Theologo assequibilem judicavit. Nos itaque clarissimi Viri conatibus applaudentes, ea, quæ deesse videntur, planè non pauca, Deo O. M. aspirante, facili negotio supplebimus, & quidem absolutè, & ubique tam in Philosophicis, quàm in Theologicis. Hinc, ut spero, fiet, ut in posterùm utriusque clarissimi Doctoris Asseclæ neutrius Authoritatem parvipendant, quos

in nullo inter ſeſe diſcrepare compererint. Parem etiam Concordiam in omnibus oſtendere promittimus, Sententiarum Myſticæ Civitatis Dei cum Doctrina D. Thomæ.

Hæc autem laboris noſtri conamina, PATER BEATISSIME, Theologis haud ingrata fore judicamus; eò vel maximè, quòd hanc Concordiam minimè nobis effingimus, ſed inſitam in ipſis utriuſque Doctoris Textibus indigitamus. Et ſanè juxta Doct. Subt. *Omnis pluralitas ad tantam unitatẽ reducitur, ad quantam reduci poteſt.* Sic in Divinis, Perſonarum pluralitas unus Deus eſt; naturarum pluralitas in Domino JESU, unus eſt Chriſtus; credendorum pluralitas, una Fides; pluralitas ſalutaris regenerationis ex Aqua, & Spiritu Sancto, unum Baptiſma; pluralitas omnium Fidelium, unum Ovile; Paſtorum denique pluralitas, in unum ſub TE unico Archi-Paſtore coaleſcit.


*Regi ſæculorum Immortali, & Inviſibili ſoli Deo honor, & gloria in ſæcula ſæculorum.*

AMEN.

## ERRATA CORRECTA.

Pagina 12. lin. 9. in ædibus, *lege* ex ædibus. Eadem pag. lin. 11. 12. THOMAS HIBERNICUS Ordinis Prædicatorum, *lege* Petrus de Hibernia Ordinis Sancti Benedicti.
Pag. 16. lin. 2. XVII. Januarii, *lege* XVI. Januarii.
Pag. 25. lin. 4. delaudat, *lege* dilaudat.
Pag. 55. lin. 2. Decessoris, *lege* Decessores.
Pag. 82. lin. ultim. additissima, *lege* abditissima.
Pag. 91. lin. 21. flultum, *lege* stultum. Pag. 106. lin. ultim. ait, *lege* ait in Approbatione Certaminis Parisiensis.
Pag. 111. lin. 16. dixerem, *lege* dixerim.
Pag. 113. lin. 5. præpora, *lege* præpropera.
Pag. 117. lin. 16. ad Lapidem Lydi, *lege* ad Lapidem Lydium.
Pag. 125. lin. 19. dicimus, *lege* discimus. Eadem pag. lin. 14. Luterani, *lege* Lutherani.





## AUTHORIS MONITIO AD LECTOREM.

Absoluta hujus Opusculi de *Specimine Sacræ Panopliæ* editione, primùm innotuit verum, indubitatumque Authorem Libelli de *Superstitione vitanda*, esse *D. Ludovicum Antonium Muratorium*, Serenissimi Ducis Mutinensis Bibliothecarium. Is est, qui plura egregia Volumina de *Rebus Italicis* elucidavit; quæ quidem, tametsi Virum non adstruant Theologum, Virum tamen ostendunt satis solertem, industrium, eruditum. Ego Eum sub sua ista Larva *Lampridii*, turbas inter Theologos contra Sanctiones Canonicas excientem, deprehendi; pluribusque satis acribus proscidi maledictis; quibus profectò abstinuissem, si verum ornatissimi Viri nomen, ac Ingentia de Republica Literaria promerita citiùs agnovissem. Utinam in gradu suo stetisset, docilisq; Candido Parthenotimo, è partibus veræ, solidæque Pietatis dimicanti, concessisset. Quid tibi, Vir ornatissime, cum Voto Siculorum Sanguinario? Ecquis est inter Theologos, qui Votum istud ad amussim veræ Religionis, ac Pietatis Orthodoxæ interpretari non possit, & approbare? Verùm de hac Controversia fusiùs alibi dicetur, Deo dante. Interim, vero Authoris nomine detecto, pacem expetimus, veniamque Viri Clarissimi. Probra in ipsum nimis ardenter prolata rescindimus, ac maledicta revocamus; nil tamen de Censura Libelli de *Superstitione vitanda*, immutare, aut remittere volentes. Agnitum ergo Authorem amplissimum cernui suspicimus; Libellum autem, maturè discussum, anathemate dignum judicamus; idque, D. O. M. favente, ubicumque terrarum probare, evincere, demonstrare parati sumus.

*Fr. Lucas Ramirez.*